Kobelt
1833

1133/

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

SISTENS

DISQUISITIONEM HISTORICAM

DE

CORDIS ET PRÆCORDIORUM VITIIS ORGANICIS

CURA

VALSALVIANA ET *ALBERTINIANA*

PERSANANDIS

QUAM

GRATIOSI ORDINIS MEDICORUM HEIDELBERGENSIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

AUCTOR

LUDOVICUS KOBELT,

KORCKANO-BADENSIS

MEDIC. CHIRURG. ET ART. OBSTETR. DOCTOR.

HEIDELBERGÆ.

TYPIS GEORGII REICHARDI.

MDCCCXXXIII.

PROOEMIUM.

Funestissima illa cordis et praecordiorum vitia organica per multa jam saecula medicorum ingenia exercuere. Quibus arte medica depellendis, cum permulti medici aliam alius adhiberent medelam, ratio illa, VALSALVÆ et ALBERTINI nominibus insignita, adhuc longe maximam sibi comparavit famam. —

Haec methodus, ut notum est, universe *) versatur in eo, ut aegrotus, istiusmodi vitiis (et praesertim aneurysmate interno) laborans, per certum temporis spatium sanguinis detractionibus, parcae diaetae severitate, corporis animique quiete, remediis evacuantibus etc. etc. ad maximum debilitatis et maciei gradum re-

*) Jam a principio probe notandum est, hanc curam nequaquam esse methodum in omnibus suis momentis definitam uti methodns illa ZITTMANNI, LOUVRIERI, WEINHOLDI etc. contra luem, sed pro diversis theorematibus multifariam esse immutatam.

digatur, quo naturae otium et occasio concedatur, ut destructam partem ad pristinam integritatem reducere possit. —

Tantae severitatis methodum necessarie omni ex parte determinandam et ad certas duntaxat laesiones restringendam esse, mecum confitebitur medicorum quisque. Itaque non deerunt lectores, qui dubitent, num omnimodo rei conveniat titulus, quem fronti hujusce dissertationis inscripsi, quia, sic dispositis verbis, opinaretur aliquis, laudatam curam contra omnia cordis et praecordiorum vitia organica esse commendatam — id quod fieri tamen nequiret. —

At vero nihilo tamen secius haud aliter res sese habet. Revera enim eadem methodus a singulis medicis contra singula, vel etiam contra omnia *) tam varia, tamque inter se discrepantia illa vitia non commendata solum est, sed etiam adhibita.

Quae ipsa rei turbatio atque obscuritas ansam mihi praebuit, ut adriperem hanc mihi oblatam occasionem, qua et satisfacerem antiquo in universitate nostra usui, et periculum facerem, si lucis aliquantulum supradictae rei adferre possem, accuratius in-

*) cfr. v. gr. F. L. Kreysig, *die Krankheiten des Herzens* II. pag. 728: »*Bei Gelegenheit der* »*Auseinandersetzung der Heilmethode der organischen Herzkrankheiten im Allgemeinen, halte* »*ich es für schicklich, auch die von* Valsalva *gemeiniglich benannte Methode, Aneurysmen* »*zu heilen, kurz zu erläutern, denn sie paſst auf alle organische Fehler des Herzens und* »*der Arterien.*«

quirendo, utrum in omnibus, an in singulis, et in quibus istis vitiis valeat ea methodus.

Quem in finem proposueram mihi, ut accuratiorem exhiberem rei historiam, quae tamen non in eo tantum versari debuisset, ut singula facta, utcunque sibi per saeculorum seriem successerunt, quasi digitis computaret, sed in illud potius adniti debuisset, ut ejusdem doctrinae et medelae e germine evolutionem et organicam paulatim perfectionem referret, atque ita veram exhiberet istius scientiae biographiam, quae ejusdem nascentis, adolescentis, vigentis, aberrantis interdum et languentis sortem enarret. — Demonstrandum mihi fuisset, quomodo a prima vitiorum illorum notitia medendi semper methodus, pro ipsius rei aut perfunctoria, aut solidiori cognitione, pedetentim a variis medicis modificata, ad eum perfectionis gradum provecta est, quem nunc obtinet. — Meum fuisset denique, ducente medicorum experientia, breviter examinare singulas istiusmodi aegrotantium historias; in quibus haec methodus, in usum vocabatur, ita ut historica hac via ad terminalem quandam sententiam pervenirem, quam non ego, sed historiae potius Musa Clio pronuntiasset. In procinctu stabat magna, majori diligentia collecta, materialium farrago; quidquid ab antiquissimis temporibus ad nostram usque aetatem a diversis in re medica coryphaeis et ad cognoscendas et ad cu-

randas illas internas laesiones contribuetatur, diligenter collegi, *) collectaque pro rei necessitate disponere coepi. — Sed hora ruit, urget dies. Omnis, quae adhuc concessa est, opportunitas vixdum sufficit, ut idem propositum ad illam usque aetatem persequar, qua viri illi degerunt, quorum nominibus nostra methodus significatur, ad Valsalvæ nimirum et Albertini aevum.

Vitiorum illorum magna frequentia, major adhuc varietas, maxima tandem perniciosa natura; erroris diagnostici facilitas atque periculum conamen meum excusabunt. —

*) Quum nulla adhuc de eodem argumento prostet historica monographia, ex ipsis singulis fontibus historicis materiam haurire, coactus eram.

»Haec demum vera medicina est, quae inde ab HIPPOCRATE quaevis praeclare dicta et »bene facta repetendo ad nostra usque tempora deducitur.« Hanc doctissimi GRUNERI sententiam ex omni parte veram esse, nemo medicorum inficias ibit; nam si omnino notitia de historica evolutione uniuscujusque scientiae cuique eruditiori homini grata acceptaque esse debet, plane necessariam illam esse in arte medica, quae mortales a mortis tentationibus vindicare nititur, mecum confiteberis. Vere enim medicus, historicam de curandis morbis notitiam omnimodo negligens, in multorum errorum vituperationem incurrat, necesse est. Non raro enim accidet, ut ad remedia confugiat, quae longa jam antiquitatis experientia in eodem morbo ut futilia, vel etiam perniciosa refutavit, — ut methodum quandam, jam antiquitus adhibitam, novam, ac fortasse ab ipso nuperrime institutam hallucinans, non solum peritis risum excutiat, sed viris etiam, de re medica bene meritis, gratiam illam atque venerationem deneget, quam ipse tamen a posteris cum maxime flagitat; ab antiquitate nobis tradita auxilia ignorans, aut improbe negligens, aegrotos, nequaquam deploratos, ab ipso vero impie derelictos dirae mortui tradendo ab officii sui declinabit religione. —

Omnes hujusmodi errores nullibi magis quam in nostra re per omnia saecula commissos esse, e sequentibus pagellis satis videbis. —

Doctrina nostra de cordis et praecordiorum vitiis organicis eorumque medela, sicuti quaelibet scientia humana, eosdem, quos mens humana, dum excolitur gradus percurrere debuit. Primo sensuum atque imaginationis ope progenita, rudis empiria atque superstitio, postea intellectus judicio ad experientiam provecta, rationis tandem sole inlucente, ad scientiae dignitatem excrevit.

Quamquam vitia illa, in intimo pectore recondita, haud dubie a primordio generis humani singulis hominibus perniciem struxerunt, per multorum tamen saeculorum seriem nil prorsus de eorum neque natura, neque sede, neque cura hominibus innotuit, ita quidem, ut ab hominum memoria usque ad HIPPOCRATIS aevum nonnisi hallucinationes in codicibus inveniantur, qualis v. gr. illa est, quam PLINIUS nobis e fabulosa Aegyptiorum aetate refert: »Augeri cor per singulos annos in homine, ac binas drachmas ponderis »ad quadragesimum accedere, ab eo detrahi tandundem, et ideo non vivere hominem »ultra centesimum annum, defectu cordis, Aegyptii existimant, quibus mos est, cada»vera adservare medicata.« [1]) — Ad easdem fabulas mihi pertinere videtur ejusdem

1) PLINIUS histor. natur. edit. Basil. 1539. Lib. XI. 70. pag. 207.

scriptoris narratio de corde piloso, quod in corpore Aristomenis nobilis illius Messeniorum ducis in secundo messenio bello repertum esse dicitur [1]) — nam longe aliter a Valerio Maximo [2]), aliter a Pausania [3]) narratur. Inde vero opinio illa exorta esse videtur, cor hirsutum audaciae et astutiae signum esse. [4])

Verum enim vero ab omnis practicae medicinae principio atque fundamento, ab Hippocrate, nostra quoque res initium ducit. — Hippocrates enim (456 a. Chr.) quamquam vitia organica interna divinabat magis, quam explorata, satisque perspecta habebat, extenuantis tamen methodi atque regiminis in morbis organicis alias [5]) quoque tam bene erat expertus ut, ubi de pectoris adfectionibus et de varicibus internis, et in specie de venularum pulmonalium dilatatione varicosa agit, categorica haec verba pronunciare non dubitaret: »Si vero vena omnino quidem rupta non fuerit, fit autem »maxime velut varix, qui etiam statim, ubi factus fuerit, dolorem quendam tenuem »inducit, ac tussim aridam etc. etc. ***Conducit autem talibus, si ab initio curandos »suscipias, ut et venae e manibus sanguinem emittant, et diaeta, e qua quam siccissimus »et exsanguissimus evadat aegrotus.*** Eodem porro modo etiam venae in latere adfi»ciuntur, quae intus in superficie sitae sunt. Quum igitur adfectae fuerint, varicosaeque »factae, et intus elevatae, et neglectae fuerint, haec perpetiuntur. Erumpunt et spuunt »a se sanguinem, et aliquando etiam vomunt, et suppurati fiunt, et ut plurimum per»eunt. Si vero curentur incipiente morbo, rursus in loco venae considunt ad latus »humilesque fiunt.« [6]) Haud dubie hoc loco jam agitur de extenuante illa methodo, quam nos vernacula lingua »*Entziehungskur*« significamus; et videmus adhibitam eandem esse contra vitia organica intimi pectoris, quinimo contra vasorum morbosam dilatationem. — Utrum vero Hippocrates, qui, ut inter omnes constat, vocabulo φλέβες promiscue et venas et arterias, nomine vero ἀρτηρίη solummodo asperam arteriam seu

1) Plinius histor. natur. L II. cap. 37.

2) Valerius Maximus Fact. et Dict. memorabil. L. I. c. 6.

3) Pausanius de tota Graecia L. IV.

4) cfr. Schenk a Grafenberg L. II. de corde. — Morgagni de sedib. et caus. morbor. Epist. XXIV. No 3 et 4. — Marcell. Donatus de medic. histor. mirabil. Lib. VI. pag. 615. edit. Francof. 1613.

5) Hippocrates de fracturis No. 29. tom. II. pag. 737. ed. Van der Linden 1665.

6) Hippocratis Coi seu Magni opera omnia graece et latine ed. Joh. Anton. Vander Linden Lugdun. Batav. 1665. De morb. Lib. I. sect. 10. Tom. II. pag. 13: Ἢν δὲ τὸ φλέβιον παντάπασι μὲν μὴ διαῤῥαγῇ, σπάδων δ'ἐν αὐτῷ ἐγγίνηται, γίνεται μάλιστα οἷον κιρσός, κ. τ. λ. **Ξυμφέρει δὲ τοῖσι τοιούτοισιν ἢν καταρχὰς λάβης θεραπεύειν, ὥστε αἵτε φλέβες ἐξιέμεναι ἐκ τῶν χειρῶν, καὶ δίαιτα, ὑφ' ἧς ἔσται ξερότατός, τε καὶ ἀναιμότατος.** Το αὐτόν δὲ τρόπον τοῦτον καὶ τὰ ἐν τῷ πλευρῷ φλέβια πάσχει, ὅσα ἔσω ἀκρόπλοά ἐστιν. Ὁκόταν οὖν πονήσῃ, κιρσοειδέα τὲ γίνεται καὶ μετέωρα εἴσω. Καὶ ἢν μέν ἀμεληθῇ, τάδε πάσχει. Εκρήγνυταί δε καὶ πτύουσι ἀπὸ σφέων αἷμα, καὶ ἐνίοτε καὶ ἐμέουσι καὶ ἔμπυοι γίνονται, καὶ ὡς τὰ πουλλὰ διεφθάρησαν. Ἢν δὲ θεραπευθῶσιν ἀρχομένου τοῦ νουσήματος αὖθις κατά χώρην ἱζάνουσιν πρὸς τὸ πλευρόν τά φλέβια καὶ γίνεται ταπεινά κ. τ. λ.

tracheam denotat, loco citato de *varicosa*, an de *aneurysmatica* vasorum dilatatione loquatur, in disceptatione adhuc versatur. Sunt enim, qui [1]) non solum hunc locum, illumque de adfectionibus internis No. V. et No. VI., sed etiam illum de epidem. VII. No. 5. et de morb. sacro p. 305. de aneurysmate agere velint; sed equidem, hippocratica scripta perlustrans, nullibi, ne dicam de aneurysmate *interno*, sed ne de *externo* quidem certam manifestamque mentionem indagare potui. Et profecto, sicubi voculam de aneurysmate reliquisset Hippocrates, Joh. Bapt. Sylvaticum non fugisset, ut qui in tractatione sua de aneurysmate adeo sese ostendit in singulis hippocraticis scriptis versatum. — Illum vero locum, a me supra transscriptum, neutiquam de aneurysmate, sed aperte de varice agere, praesertim Salius [2]) et Martianus [3]) et Morgagnus [4]) contendunt, et mihi quidem, si tantis nominibus me adjungere fas est, ex eo luce clarius prodire videtur, quod illic vasa sanguifera (φλέβες) nimis extensa indeque rupta non torrentem sanguinis, quemadmodum ex aneurysmate disrupto fieri solet, effundendo, ad repentinam mortem praecipitant, sed ulcus, et purulentum pulmonem relinquendo, lentum interitum parant. — Valde vero suspicarer, hunc pulmonum varicem Hippocrati minus ex autopsia, quam ex conclusione, a varice *externo* ad varicem *internum* facta, innotuisse; — ut qui in libro de natura hominis Sect. III. p. 8. tam mancam et mutilam cognitionem de vasorum distributione oculis nostris manifestat. —

Mali ab ipso depugnati naturam Hippocrates a sanguinis plenitudine, indeque producta, vasorum distentione repetere videtur; ideoque sanguinis detractionem, et rigorosam diaetam in usum vocat, ita tamen, ut ope diaetae magis, quam venaesectionum aegrotum ad maximum maciei gradum extenuare studeat; alias enim non: »ὑφ' ἧς« (scilicet διαίτης) sed potius: »ὑφ' ὧν« scripsisse, mihi videtur. Temporis spatium, per quod haec methodus adhibenda, et terminus, ad quem perducenda sit, non dierum numero, sed ipsius maciei gradu constituitur. Curae perfectam efficaciam ad primum duntaxat morbi statum restringit dicendo: ἢν καταρχὰς λάβῃς κ. τ. λ. atque: ἢν δὲ θεραπευθῶσιν ἀρχομένου τοῦ νουσήματος κ. τ. λ. Imo consanescendi quoque rationem accurate jam indicat adjiciens, αὖθις κατά χώρην ἱζάνουσιν πρὸς τὸ πλευρὸν τὰ φλέβια, καὶ γίνεται ταπεινὰ κ. τ. λ. — Igitur ex tempestive adhibita

1) J. M. Lancisius de subitaneis mortibus. Lib. I. cpt. XXIII. No. VII. et A. J. Testa: *über die Krankheiten des Herzens von* Kurt Sprengel, *Halle 1813. p. 7.* — et Hodgson: *A Treatise on the diseases of Arteries and Veins etc. Lond. 1815. p. 150.*

2) Salius adnotationes ad locum citatum vers. 219.

3) Martianus commentar. in eund. locum. S. III. t. 19 et seqq.

4) Morgagni de sedibus et caus. morbor. etc. L. II. epist. XXVII. No. 1 et 3.

cura perfectam sanationem interdum expectandam esse, experientia sine dubio edoctus, contendit. —

De ceteris cordis et praecordiorum vitiis organicis nil adhuc innotuit sagacissimo Hippocrati; nisi forte illud huc spectare velit aliquis, quod de cordis dolore [1]) et venarum internarum ruptura [2]) multis locis commemorat. —

Post Hippocratem vastus patet in historia nostra hiatus, quia, qui illum proxime exceperunt medici, theoreticis magis, quam practicis studiis incumbebant. Quocirca evenit, ut, perquam neglecta notitia de internorum vasorum vitiis, contra quae pollet nostra curatio, — haec ipsa oblivione obrueretur. —

Aristoteles quidem de zootomia, immo Praxagoras [3]), Erasistratus, Herophilus, Eudemus et omnino Schola Alexandrina de anthropotomia non parum meriti, de pathologica tamen anatomia, et in specie de cordis et praecordiorum vitiis organicis altum tenent silentium; nisi forte huc spectare velis ea, quae Plinius [4]) ex Alexandrinorum tempore nobis refert his verbis: »tradunt, et praecordiis necessarium hunc succum »(rhaphani), quando phthisin, cordi intus inhaerentem, non alio potuisse depelli com»pertum sit in Aegypto, regibus corpora emortuorum ad scrutandos morbos insecantibus.« Quibus verbis indicari videtur, Alexandrinis cordis atrophiam jam innotuisse, illamque notitiam a corporum sectionibus fuisse repetitam.

Verum enim vero, dissipata Alexandrina Schola (132 a. Chr.) maxime laudanda illa cadaverum extispicia, ad rem nostram ulterius promovendam unicum remedium, ultra 1400 annos [5]) conquieverunt; ideoque de ejusdem per subsequens tempus segnitiori progressu minime miraberis. —

Cornelius Celsus (circiter 30 a. Chr.) de cardiaco quodam morbo loquitur [6]), qui vero ventriculi potius morbus esse videtur. —

Plinius (23 — 79 post Chr.) de remedio quodam, quod Gith Graecis audierit, refert [7]), quo *praecordiorum tumores cohiberentur.* Ceterum sibi ipse contraria hallucinatur; v. gr. de corde edicit: »Solum hoc viscerum vitiis non maceratur, nec

1) Hipp. popularium Lib. VII. No. 33. — ibid. No. 48. — de morb. L. IV. No. 10. etc.

2) Hipp. Coacae praenotiones III. 38. ed. Vander Linden I p. 565. — de aëribus, aquis, locis, No. V. Vol. I. p. 331. — De adfect. intern. No. VI. etc.

3) Praxagoras (335 a. Chr.) primus distinguit inter venam (φλεψ) et arteriam (ἀρτηρίη) cfr. Galen de divers. puls. L. IV. p. 42. 43. ed. Kühn.

4) Plinius histor. natur. L. XIX. cpt. 5. p. 349. edit. Basil. 1554.

5) anno 132 ante Chr. Ptolomaeus philosophos ex Alexandria expulit; et 1797 annis dehinc, nimirum anno 1315 primas cadaverum sectiones in Europa instituit Mondini de Luzzi, Professor Bononiensis.

6) Cornel. Celsus Lib. III. cpt. 19.

7) Plin. hist. natur. Lib. XI. pag. 378. ed. Basil. 1539.

supplicia vitae trahit« [1]) etsi in permultis aliis locis [2]) magnam remediorum copiam contra cordis vitia commendat. —

Inter omnes tamen istius aevi scriptores Aretæus Cappadox, (circiter 50 p. Chr.) [3]) alter ab Hippocrate accuratior morborum contemplator et pictor, mirandae eruditionis in anatomia, physiologia et pathologia cordis et praecordiorum longe maxima edidit specimina. [4]) —

Primus de venae cavae adfectione quadam loquitur [5]) quam *κέδματα* id est *tumores* [6]) nominat: »Ceterum in hac vena (cava) oriuntur adfectus, qui vocantur »*κέδματα*; in quo casu sanguinis ex ejus ruptione profusio mortem citissime infert. »Is autem, si in pectore fiat ruptio, sursum per pulmonem atque asperam arteriam »effunditur; quod idem, si juxta venae originem in inferiore ventre contingat, is »intestinis continetur, ita ut ea repleat: ubi, priusquam sanguis dejectus in conspectum »prodeat, aegri moriuntur: at iis erat interdum venter plenus sanguine.« — Quisnam vero, haec verba inspiciens, non de aneurysmate aortae suspicaretur, in bronchas vel abdomen disrupto? — quam opinionem et Chr. G. Gruner, vir plurimae lectionis, doctissimis argumentis, uti solet, comprobare adnititur [7]), aeque atque Hænischius [8]) et J. H. Schneider [9]). — Non solum laudato hoc loco, sed alio quoque [10]) primus omnium medicorum de repentina morte ex rupta vena cava et aorta mentionem facit, quem locum verbotenus transscribere, eo minus haereo dubius, quod ab ipso Lancisio in tractatu de repentinis mortibus praetermissus est: »Et ea (sanguinis »effusio) valde mortifera est, si ex nobilis alicujus visceris ruptione contigerit, vel »venae cavae (τῆς κοίλης φλέβος), quae cordi inseritur, et a jecinore sanguinem »distribuit, vel arteriae istius crassae (παχείης ἀρτηρίης), quae secundum dorsi spinam

1) Plin. hist. natur. L. XI. p. 206. — Haec de cordis immunitate opinio ubique locorum in antiquioribus scriptis occurrit; confer de hac re: Aristoteles III. de par. animal. 4. — Avicenna II. 3. tract. 1. c. 2. — Haly Abbas Theor. Lib. IX. c. 23. — Laurentius L. IX. 94. 18. — Ovid. epist. ex pont. III. v. 22. etc. etc.

2) Plin. hist. natur. L. XI. pag. 405. 411. 468. 472. seqq.

3) Kühn in praefat. ad. edit. Aretaei p. VII. confirmat, illum intra Neronis et Titi Vespasiani imperium vixisse, ergo inter annos 14 — 81 p. Chr.

4) v. gr. in caus. et sign. acut. morb. L. II. cpt. 1 — 3. cpt. 7. 8. et cura acut. morb. L. II. c. 7.

5) Aret. caus. et sign. acut. morb. L. II. cpt. 8. pag. 52. ed. Kühn.

6) Juxta Trilleri opinionem observ. critic. IV. 20. p. 426. Ceterum varia sub hoc nomine comprehenduntur. cfr. Gruner morb. antiq. pag. 192.

7) in tractatu suo de morborum antiquitat. pag. 187 seqq.

8) Haenischius edit. Aretaei opp. p. 320. Aug. Vindelic. 1603.

9) J. H. Schneider *griech. teut. Wörterb.* Tom. I. p. 739. sub hac voce.

10) Aret. caus. et sign. acut. morb. L. II. cpt. 2. pag. 31; edit. Oxon. 15. 16.; edit. Ludg. Batav. 12 13.

»protenditur; nam sanguinis profluvio, perinde ac si jugulentur homines, aut strangu»lentur, citissime pereunt.« [1]) — Primam observationem simulque optimam descriptionem inflammationis et venae cavae et aortae in Aretæi scriptis [2]) invenimus, quam tamen ingrata posteritas usque ad Herm. Bœrhaavium [3]), dico per 1600 annos, tanquam inanem, neque attentione dignam silentio praeteriit. Novissimo tamen tempore eadem observatio a multis et praesertim a Josepho Hodgsonio [4]) omni ex parte confirmata est. — Syncopen [5]), constans illud cordis vitiorum symptoma, in corde sedem habere, non contendit solum et rationibus confirmat, sed et venaesectionibus jam depugnat. [6]) — Aretæi sagacitatem fugere non potuit, hominem, orthopnoea laborantem, ***si cor adfectum sit, non diu superesse*** [7]) etc. etc. —

Quae omnia si perpenderis, profecto non poteris, laudem non tribuere Aretæo, ut qui sane, si minus de medela, de nosologia tamen et symtomatologia in vitiis supra memoratis magnam meritus est gratiam, si non maximam.

Saeculo insequente magnus extitit Claudius Galenus (131 — 193 p. Chr.) multiplicis eruditionis vir, qui, Aretæi supra laudata merita ignorans, (quantum sane ex eo colligi potest, quod Aretæi nomen nusquam a Galeno citatur) non minus tamen de illorum vitiorum semiologia etc. meritus est. — Item enim observabat, cordis vitia organica per frequentes et magnos animi defectus sese manifestare, et haud raro mortem inopinatam inducere; dicit igitur: »Majores vero per proprias quidem »***similarium partium*** intemperies subita mors non sequitur, per ***organicas*** vero re»pentina (*κατὰ δὲ τὰς ὀργανικὰς ᾽εξαιφνίδιος*) sed praecedentibus prius signis,

1) Repentinam mortem ex cordis et praecordiorum vitiis, juxta Lancisii effatum, jam Hippocrati innotuisse dicitur, ut qui (Lib. I. praedict. No. 9) pronunciat: „Oris ventriculi dolor, cum praecordio distento, „et capitis dolore, malignum est quidpiam anhelosum, nam ii repente moriuntur, velut in dysodc." — Et alio loco (L. III. sect. 11. No. 17) „cordis dolor, seniori saepius consuescens, repentinam mortem significat;" alterum vero horum locorum equidem invenire non potui, alter vero ad acutum potius morbum pertinere mihi videtur. De repentina morte ex supradicta causa postea speciatim scripserunt: Ranchinus, Hollerus, Terillus, Trullius, Lancisius, Morgagnus etc. etc.

2) Aret. de cura acut. morb. cpt. 7. pag. 277. ed. Kühn: „Similes in hac (inflammatione) adfectus iis, qui „in causo, oriuntur: fervor acer et acutus, fastidium, sitis, molestia, pulsus in praecordiis dorsoque „palpitans etc. etc."

3) J. Boerhaave praelect. ad institut. §. 827. et Morgagni de sed. et caus. morb. Ep. XXVI. No. 35. 36.

4) J. Hodgson *Treatise on the diseases of Arteries and Veins* p. 3 seqq.

5) Aret. de caus. acut. morb. L. II. cpt. 3. pag. 38 seqq.: *τῷδε οὖν καὶ ἡ συγκοπὴ καρδίης ἐστὶ καὶ ζωῆς νοῦσος.* —

6) Aretaeus cura acutor. L. II. cpt. 3. pag. 257 seqq.

7) dicit igitur (caus. diut. L. I. cpt. 11. pag. 102): *ἢν δὲ καρδίη πάθῃ, οὔποτε ἐς πολλὸν διαρκέσειε*, — et alio loco (caus. et sign. acut. morb. Lib. II. c. 1. pag. 25): *πρῶτον τοιγαροῦν ἢν μὲν ἡ καρδίη πάθῃ, οὐκ εἰς μακρὰν τοῦ θανάτου ἡ ἀμβολή.*

»quorum unum est, quod ab Hippocrate dictum est: »Qui saepe et vehementer ex»solvuntur sine causa manifesta, ii derepente moriuntur.« [1]) — Alterum eorundem vitiorum signum, vel quasi pathognomonicum inducit: pulsuum inaequalitatem [2]); tertium, cordis palpitationem. Ac tandem respirationis difficultatem, ut symptoma nominat, in quod omnes cordis morbi desinant (ἅπαντα γοῦν ἐξ ἀνάγκης εἰς τὴν τῆς ἀναπνοῆς βλάβην τελευτᾷ) [3]); quae ultima observatio ab omnibus dehinc scriptoribus, ut veritati quam maxime consentanea agnoscitur. Ne vero omnia haec argumento sint destituta Antipatris, romani illius medici historiam enarrat, qui, praecedente pulsuum inaequalitate, accedente cordis palpitatione, et superveniente denique maxima spirandi difficultate »exolutus statim obiit aliorum quorundam exemplo, »qui cordis adfectibus laborant« (εἶτ' ἐκλυθεὶς, εὐθέως ἀπέθανεν ὥςπερ ἄλλοι τινὲς ἐπὶ πάθησι καρδιάς) [4]). — Quisnam vero ex paucis hisce sibi non colligere potest adumbrationem imaginis illius, quam centies depictam apud omnes, qui de cordis vitiis postea scripsere, reperimus. Verum Galeni scripta perlustranti, de medela quoque nostra aliquantulum excutere, mihi contigit. Ubi enim de cordis adfectibus agit, haec verba inveniuntur: »Palpitatio autem visceris hujus pluribus integra valetudine »degentibus, tum adolescentibus, tum adultis, subito sine alio manifesto symptomate »evenire visa est, atque hi omnes sanguinis detractione juvati sunt. Atque hoc »symptomate alii plane liberati sunt, qui ***post venaesectionem usi sunt extenuante »victu cum medicaminibus similibus*** (ἐπὶ τῇ φλέβοτομιᾳ λεπτυνούσῃ διαίτῃ μετά »φαρμάκων ὁμοίων θεραπευθέντες) — horum vero nonnulli, quibus rursum hujus»modi symptoma obortum erat, simili curatione sospites evaserunt. Ac novi quendam, »quotannis verno tempore palpitationis symptomate vexatum, qui, quum per tres »annos sanguinis detractione se adjutum intelligeret, anno quarto, antequam symptoma »ipsum invaderet, sanguinem misit, idque pluribus deinceps annis faciendo idonea »etiam post sanguinis detractionem cetera adhibuit. At nihilominus hic quoque ante »senectutem morte praeventus est, sic ut et reliqui omnes etc. Sic autem adfectorum »major pars aetatem agebat quinquaginta quidem annis inferiorem, sed quae quadra»ginta annos excederet.« [5]) Quibus omnibus perlectis, quis est, qui Galeni maximam observandi facultatem practicumque ingenium non admiretur, Galeni, qui, ob neglectas emortuorum sectiones, omni de morbi illius natura ac sede notitia destitutus, nihilo tamen secius ex penitiore phaenomenorum examine accuratiorem jam symptoma-

1) Galen. de loc. adf. L. V. cpt. 2. pag. 303. edit. Kühn.
2) ibid. loc. adf. L. IV. c. 11. p. 293.
3) ibid. loc. adf. L. V. c. 3. p. 306.
4) ibid. loc. adf. L. IV. c. 11. p. 293 seqq.
5) ibid. loc. adf. L. V. c. 2. p. 304 seqq.

tologiam sibi comparavit, — qui manifeste hic locorum HIPPOCRATIS supra memoratam curandi methodum, adjecto medicaminum apparatu, perite ad constantissimum cordis vitiorum symptoma transtulit, methodum dico, quae, si probe respecta esset, per 2600 annos eandem salutarem facultatem exserere potuisset, quam novissimis temporibus sub auspiciis illustr. virorum KREYSIGII [1]), PELLETANII [2]), HODGSONII [3]), LÆNNECII [4]) etc. etc. exseruit. — Ex iisdem supra citatis verbis elucet, GALENUM jam animadvertisse, funesta illa cordis majorumque vasorum vitia multo frequentius in senili, quam in juvenili aetate occurrere, quam observationem omnis posteritas, ut satis veram, comprobavit. —

Praeterea vero GALENUS de pericardii [5]) et cordis [6]) inflammatione, de pericardii hydrope [7]) et, nisi fallor, omnium medicorum primus, de aneurysmate (externo) [8]) loquitur, id quod memoratu non indignum mihi videtur. Quinimo pueri historiam enarrat, qui, post ictum in palaestra pectori impactum, sterni carie laborabat, ita quidem, ut cor nudatum conspici posset [9]). Quae sterni caries fortasse nil aliud fuit, nisi famata ista ossium per aneurysma consumtio, et cor nudatum nil nisi aneurysma pulsans; sic ut hic locorum primum forsan de aneurysmate interno sermo sit. [10]) —

Sed hae in doctrina nostra paulatim sublucentes scintillulae post GALENUM in tenebricosis nebulis, quae per medii aevi spatia diffundebantur, obrutae per integros 1200 annos sub umbra delituerunt. —

CÆLIUS AURELIANUS (circa 222 p. Chr.) accuratus quidem naturae observator, in re nostra nil tamen praestitit; nam locum illum, qui doctissimo GRUNERO [11]) manifeste de aneurysmate agere videtur: »Plerumque etiam, ut Erasistratus ait, tubercula illa, »quae Graeci condylomata vocant, visibus occurrunt, quae sunt similia haemorrhoidis, »ex quibus sanguis fertur« [12]) etc. — equidem de aneurysmate intelligere non possum, praesertim postquam omnia inibi scripta in contextu perlegi. —

1) F. L. KREYSIG *die Krankheiten des Herzens.* III. p. 319.
2) PELLETAN *Clinique Chirurgicale.* Tom. I. p. 54.
3) HODGSON *a Treatise on the diseases of Arteries and Veins.* p. 100 seqq.
4) LAENNEC *Traité de l'auscultation médiate et des maladies des poumons etc.* II. p. 732.
5) GALEN. loc. adfect. L. V. c. 2. p. 306.
6) ibid. p. 302.
7) ibid. p. 303.
8) GALEN. method. medendi. L. V. c. 7. p. 334 seqq. — et de tumoribus cpt. 11.
9) GALEN. anatom. administrat. L. VII. p. 632 seqq.
10) cfr. similes historias in A. BENIVENII de abdid. morb. caus. cpt. 42. et porro in HARVEYI tractatu de generat. anim. No. 52. pag. 208. 209. edit. opp. Lond. 1766.
11) GRUNER. morbor. antiquitat. p. 205.
12) CAELIUS AUREL. de morb. diutin. II. 11. p. 393.

Uti jam Galenus, ita quoque Oribasius (362) [1], Aetius (550) [2], Paulus Aegineta (636) [3], Ali ben Abbas († 994) [4], Avicenna († 1036) [5], Albucasis (1122) [6], Actuarius (1290) [7] etc. *externarum arteriarum aneurysma* commemorant, sed *cordis majorumque internorum vasorum aneurysma* ne augurabantur quidem. Nisi forte illud huc spectare velis, quod Aetius loco citato scripsit: »dilatatio vasorum, quam aneurysma »*Graeci* vocant, in qualibet corporis parte fit.« — Aetium vero *externas* duntaxat partes in animo habuisse, e subsequentibus inibi verbis satis perspici potest.

Iahia Ebn Masavaih — alias Mesue junior appellatus († 1028) [8] in libro suo cordis laesionibus peculiare caput impendit, ex quo tamen parum frugis percipi potest. —

Avenzoar († 1179) [9] pericardii hydropem primum in dissecto *humano* [10] corpore vidisse creditur. — Gentilis da Foligno († 1348) [11], Professor Patavinus de cordis atrophia et defectu loquitur. — Bartholomæus Montagnana, Patavinus († 1460) [12] multa symptomata enumerat, quae ex cordis vitiis exoriantur; idem impeditam cordis diastolem per materiam intra cor et pericardium exsudatam, ut mortis subitaneae causam, accusat. — Antonius Benivenius († 1502) [13], medicus Florentinus multa mirabilia et fabulosa hallucinatur de cordis vitiis; sed inter omnes medicos primus librum de anatomia pathologica edidit. —

Verum quid ignorantis hujus aevi obscuritatem pravamque ingenii humani servitutem clarius ob oculos ponere poterit, quam ipsius rei nostrae ab illo conscripta historia. Quid enim sanae liberaeque menti magis conveniens, magisque congruens fuisset, quam ad Hippocratis quondam exemplum *externorum* vasorum aneurysma, quod jam Galeno — ideoque per multa saecula innotuit — ad *interna* vasa simpliciter transferre? — Sed medicorum exercitus, Galeni auctoritate obcaecatus, ingeniique minime compos, ultra magni magistri edicta cogitare, perquam non audebat. —

Nec ex omni Schola Salernitana res nostra ullum percepit emolumentum. —

Tandem Johannes Fernelius, Regis Gallorum Archiater (1485 — 1558) in primis

1) Oribasius L. VII. cpt. 14.
2) Aetius tetrabibl. IV. sermo III. c. 10.
3) Paulus de re medica L. VI. c. 37.
4) Ali ben Abb. L. VIII. cpt. 17.
5) Avicenna L. I. Fenestr. II. cpt. 4.
6) Albucas. Chirurg. L. II cpt. 49.
7) Actuar. method. medendi L. III. cpt. 2.
8) Mesue summ. IV. cpt. 1. fol. 218. b. edit. Venet. 1562.
9) Avenzoar Theisirium L. I. tractat. XII. c. 7. fol. 19. b. edit. Venet. 1496.
10) Nam Galenus eundem non in homine sed in simia obsirvavit. Loc. adfect. L. V. c. 2. p. 303. ed. Kühn.
11) Gentilis Folign. Consil. f. 59. a edit. Venet. 1518.
12) Montagnana Consil. No. 114. fol. 146. et consil. 266. fol. 300. edit. Venet. 1564.
13) Beniven. de abditis morbor. caus. obs. 35. 61. 65. 71. 83. 89.

cum Paracelso cogitandi libertatem sibi vindicans, non solum *externas*, sed etiam *internas* arterias aneurysmaticae dilatationi obnoxias esse, contendit; docet enim: »Cordis palpitatio immoderata est concussio, vehementi diastole atque systole molesta. »Cujus tanta vis, ut saepe sit animadversa thoracis vicinas costas effregisse. Saepe et »eas quae supra mammam sunt, de propria sede depulisse: saepe etiam arteriam foras »dilatasse in aneurysma contracti pugni magnitudine, in quo et tactu et visu conspicua »erat pulsatio. Ita quidem adfecto corde arteriae omnes vehementius pulsant ac in- »terdum dilatantur, praecipue vero, quae supra jugulum sunt.« [1]) — Alio porro loco, propositis externis aneurysmatibus, haec subjecit: »fit et nonnunquam (aneurysma) »*interioribus arteriis maxime sub pectore*, circa lienem et mesenterium ubi vehemens »saepe pulsatio animadvertitur.« [2])

At enim vero quis medicorum, cui unquam obtigit (nec mehercle raro contingit) [3]) ut aneurysma aortae, ex intimo pectore extrorsum erumpens, et ad thoracis superficiem, cum omnibus suis atrocissimis symptomatibus sese manifestans, observaret, non miraretur mecum, nusquam [4]) in acutissimorum naturae observatorum scriptis, ad Fernelium usque, ullam manifestissimae illius, nec infrequentis, laesionis mentionem occurrere?

Eo magis igitur Fernelio laudem tribuere cogimur, ut qui (quantum quidem e codicibus elucet) omnium primus phaenomenum illud non solum observavit, sed naturam etiam ejus juxta veritatem probe divinavit — divinavit dico, nam Fernelius quoque observationes illas corporum dissectione, quod summum semper est argumentum, nusquam confirmavit.

Postquam vero a saeculo decimo quarto [5]), monentibus praesertim Bartholom. Eustachio [6]), Volch. Koytero [7]) et Marcello Donato [8]), ad investigandas morborum sedes, aliquando saepius cadavera emortuorum incisa sunt, abscondita quoque illa, a Fernelio divinata, vitia magis magisque indies in conspectum venerunt. — *Cordis* aneurysmaticam dilatationem primum a Nicolao Massa [9]) anno 1534, — *Aortae* aneurysma primum ab Andrea Vesalio anno 1557, in corpore dissecto observatum

1) Fernel. Patholog. L. V. cpt 12.
2) ibid. L. VII. cpt. 3.
3) uti ex diversis repertoriis satis elucet.
4) nisi forte locum supra allegatum (pag. 11. not. 10.) ex Galeni scriptis, huc referas.
5) uti jam supra (pag. 6. not. 2.) commemoravimus, Mondini de Luzzi, Professor. annatom. Bonon. anno 1315 primas post Scholam Alexandrinam publicas sectiones anatomicas instituit cfr. ejusdem Anatom. cpt. XX.
6) Eust. de rerum administr. cpt. 45. p. 119. opp. ed. Lugd. Bat. 1707.
7) Volch. Koyt. observat. anatom. chirurg. praefat. 106. ed. Norimb. 1573.
8) Marc. Donat. de histor. medic. mirabil. L. IV. cpt. 3. f. 168. b.
9) Nic. Massa anat. liber. introd. c. XXII. edit. Venet. 1559.

reperimus. [1]) — VESALIUS in aneurysmatibus internis jam duplex illud concrementum, alterum grumosum, alterum fibrosum distinguit; aneurysma internum interdum sponte exoriri et prorsus insanabile esse existimat; cordis et praesertim auriculae dextrae dilatationem saepius in corporibus aetate provectioribus reperit, eandemque interdum cum extremitatum gangraena conjunctam esse, probe observavit. [2]) — E quibus omnibus VESALII sagacitas satis patet.

Verum enim vero nonnisi miraculo quodam fieri potuit, ut post hominum memoriam per immensam saeculorum seriem, inspectante medicorum exercitu, exitialia illa vitia sub thoracis propugnaculo innumeris mortalibus impune insidias, et ne clandestinas quidem, struxerint, quin unus medicus insidiosum hostem oculis conspiceret, digitisve palparet. Sed ne miraris, stupida enim superstitio emortuos incidere vetuerat medicis.

Uti vero plerumque fieri solet, rei novitas plurimorum tunc degentium medicorum oculos ad interna illa vitia convertit, ita ut per saeculum XVI. et XVII. ingens observationum copia in lucem prodierit.

PETRUS FORESTUS 1545 [3]), CAROLUS STEPHANUS 1546 [4]), JOH. FR. ROTA 1555 [5]), AMATUS LUSITANUS 1556 [6]), VICTOR TRINCAVELLA 1557 [7]), JOH. BAPT. MONTANUS 1559 [8]), DIOMEDES CORNARUS 1559 [9]), DONAT. ANTON. AB ALTAMORE 1560 [10]), PETRUS SALIUS DIVERSUS 1564 [11]), CHRISTOPHORUS A VEGA 1564 [12]), GUILELM. BALLONIUS 1575 [13]), REALDUS COLUMBUS 1577 [14]), C. BRUNO 1580 [15]), NICOL. PISO 1580 [16]), REMB. DODONÆUS 1581 [17]),

1) ANDR. VESAL. Chirurg. magn. L. V. c. 1. p. 1040. — BONET sepulchr. L. IV. sect. 2. obs. 21. §. 7. — Quamquam hoc aneurysma non a. thoracicum sed a. abdominale fuit, tamen ut primum *internum* hic memorandum censui; primum *aortae thoracicae* aneurysma ANDR. LAURENTIUS observavit. vide paulo infra.

2) VESAL. de corp. human. fabr. L. I. c. 5. L. VI. c. 8. 14. p. 515. edit. ALBINI.

3) PETR. FOREST. observat. L. XVII. cpt. 1.

4) C. STEPHANUS (ETIENNE) de dissect. part. corp. human. Paris 1546. L. II. c. 33. p. 250.

5) J. F. ROTA de tormentor. vuln. natura. cpt. 23. p. 116. 117. ed. Bonon. 1555.

6) AMAT. LUSITAN. curat. medicin. Cent. VI. cur. 65.

7) VICT. TRINCAV. Cons. med. L. II. cons. 16. p. 286. ed. Basil. 1557.

8) J. B. MONTAN. Cons. med. No. 138. fol. 145. a. ed. Norimb. 1559.

9) DIOM. CORNARUS consil. VIII. p. 73.

10) DONAT. AB ALTAMORI de med. hum. corp. mal. cpt. 54. 55. p. 424—441. ed. Lugd. Batav. 1560.

11) P. S. DIVERS de curat. partic. morb. cpt. VI. VII. p. 247. Bonon. 1564. et in Comment. in AVICENNA tract. II. cpt. 1. p 612. Patav. 1673.

12) CHR. A VEGA de arte med. L. III. Sect. VI. c 8. p. 576. Lugd. Bat. 1564.

13) G. BALLON. (BAILLOU) Constitut. autumni. 1575. — et Consil. med. I. 109. et in BONET sepulchr. L. II. sect. 8. obs. 26. §. 2.

14) REALD. COLUMB. de re anatomica. L. VII. L. XV. p. 670. ed. Francof 1587.

15) C. BRUNO de corde ejusque vitiis. Basil. 1580. 4.

16) NICOL. PISO de cognoscend. et curand. morb. L. VII. c. 11. p. 206. ed. Francof. 1580.

17) R. DODON. observ. medicin. exempla rara. Colon. 1581.

Marc. Donatus 1586 [1]), Eustachius Rudio 1590 [2]), Joh. Bapt. Sylvaticus 1595 [3]), Andreas Laurentius 1599 [4]), Marcus Aurelius Severinus 1580 — 1656 [5]), Schenk a Grafenberg 1600 [6]), Fabricius Hildanus 1606 [7]), Angel. Victorius 1613 [8]), Felix Platerus 1614 [9]), Hannibal. Albertini 1618 [10]), Carolus Piso 1618 [11]), Hercules Saxonia 1620 [12]), Guilelm. Harveyus 1628 [13]), Fabricius Bartoletus 1630 [14]), Andreas Cæsalpinus 1630 [15]), Jacobus Hollerus 1635 [16]), Daniel. Sennertus 1637 [17]), Thom. Bartholinus 1641 [18]), Zacutus Lusitanus 1643 [19]), Johannes Riolanus 1649 [20]), Lazarus Riverius 1655 [21]), Attilius Bulgetus 1657 [22]), Thomas. Willisius 1659 [23]), Dominicus Marschettus 1664 [24]), Georg. Elsnerus 1670 [25]), Theodor. Kerkringius 1670 [26]), Theophilus Bonetus 1679 [27]), Joh. Conr. Peyerus 1682 [28]), Nicolaus Tulpius 1685 [29]), Isbrand. Diemerbrœkius [30]), Friedr. Ruyschius 1691 [31]), Ambros. Paræus

1) M. Donat. de histor. medic. mirab. L. V. c. 4. p. 568. L. VI. c. 2. p. 615. ed. Francof. 1613.
2) E. Rudii art. med. L. I. Venet. 1590. fol.
3) J. B. Sylvatic. tractatio de aneurysm. 1595.
4) Andr. Laurent. histor. anat. hum. corp. Francof. 1599. L. IX. c. 18.
5) M. A. Severin. de noviss. observat. abscess. c. VII. c. XXXIV.
6) Schenc. a Grafenb. observat. medic. etc. tomus unus. Francof. 1600. L. II. de corde p. 443 — 465.
7) Fabr. Hildan. Observ. chirurg. Centur. III. obs. 43. 44. pag. 225. Francof. 1682.
8) Ang. Victorii historia palpitat. cordis. et ruptur. costar. Romae 1613.
9) F. Platerus de observ. propr. L. III. pag. 620. ed. Basil. 1614.
10) Hann. Albertini de adfectionibus cordis. Venet. 1618.
11) Carol. Piso de morbis a serosa colluvie ortis. p. 220. ed. Boerhaav.
12) Hercul. Saxon. praelect. practic. P. II. c. 1. p. 658. ed. Vincent 1620.
13) G. Harv. exercit anatom. de motu cordis et sanguin. in animalib. in opp. ed. Londin. 1766. pag. 71; ibid. de circulat. sanguin. pag. 127; ibid. de generat. animal. exercit. 52. pag. 399.
14) Fabr. Bartol. methodus in dyspnoeam. 1630.
15) Andr. Caesalp. specul. art. med. Hippocr. pag. 571. ed. Argentin. 1630.
16) Jacob. Hollerus de morb. intern. L. I. c. 29. ed. Genev. 1635.
17) D. Sennert. opp. omnia. tom. V. L. V. p. I. c. 43.
18) Thom. Barthol. Act. Hafn. I. obs. 78. et in epistolis.
19) Z. Lusitan. praxis admiranda. L I. obs. 128. Lugd. Bat. 1643.
20) J. Riolan. opp. anatom. ad calcem. ed. Par. 1649. et in encheir. anat. L. V. c. 46. et Anthropol. L. III. c. 12.
21) L. River. observat. Cent. I. obs. 87. pag. 490. ed. Lugd. Bat. 1679. Cent. II. obs. 29. Cent. IV. obs. 34.
22) Att. Bulg. de adfection. cordis. Patav. 1657. 4.
23) Th. Willis. pharmac. rational. sect. VI. c. 3. p. 261. 264.
24) D. Marschett. observ. med. chirurg. No. 47 et 49. ed. Patav. 1664.
25) G. Elsner. de paradoxico aneurysmate aortico. 1670. et in Act. natur. curiosor. Ann. 1. Dec. 1. obs. 18.
26) Th. Kerkring. spicileg. anatom. Amstelod. 1670.
27) Th. Bonet. sepulchret. anatom. L. IV. sect. 2. obs. 21. §. 1 — 10. L. II. sect. 8. obs. 1. obs. 3.
28) J. C. Peyer. Parerga anat. et medic. Septem. Amstel. 1682.
29) N. Tulpius observ. med. L. I. c. 72. pag. 52. Amstel. 1685.
30) Isbr. Diemerbr. opp. pag. 615. Ultraj. 1685.
31) F. Ruysch. observ. anatom. No. 37. 38. 69. Amstel. 1691.

1694 [1]), R. Wagnerus 1696 [2]), ab Hartenfels 1697 [3]), Joh. Bapt. Fantonus 1699 [4]) etc. etc. omnes diversissimas de cordis majorumque vasorum vitiis et praesertim de perniciosa organorum illorum dilatatione observationes in medium protulerunt.

Verum enim vero ex omni arte medica nulla res clarius, quam ipsius nostrae doctrinae historia nobis ostendit, nequaquam satis esse ad rei medicae incrementum plenamque utilitatem, novi aliquid ex naturae visceribus eruere, nisi una simul inventae rei dignitas atque usus deprehendatur et aperiatur. Nollem tamen, ita accipiantur haec, ut lector arbitretur, eos nulla laude dignos me censere, qui novum aliquid, ejus tamen usum minime adsecuti, detexerint, immo vero iis magnam gratiam habendam esse puto, utpote qui viam posteris faciunt, per quam ad delitescentem adhuc utilitatem facilior pateat accessus.

Et profecto patefacta erat et in nostra re. Quid enim facilius fuisset, quam observationum pathologico-anatomicarum huc illuc per singulos libros dispersam copiam colligere, atque ex collectis, beneque dispositis singulis observationibus generalia quaedam de aetiologia, nosologia, symptomatologia et therapia illorum vitiorum abstrahere — ita ut et scientia aliquantulum profecisset, et aegrotantium multitudo beneficii quidquam percepisset. — Verumtamen postquam morborum illorum sedes et natura jam ultra centum annos innotuit, nulla adhuc neque ad antiquorum medicorum exemplum adhibita, neque nova instituta est medendi methodus. Ad eam solummodo sententiam convenerunt medici: »prorsus insanabilia esse illa vitia.« [5]). Itaque sine omni delectu vel venaesectiones vel roborantia vel etiam volatilia et excitantia medicamina — eaque palliative duntaxat in usum vocavere, vel aegrotum omnino derelinquentes, dirae [6]) mortui concessere; immo vero non raro tumorem aneurysmaticum, pectoris integumenta protrudentem, temeraria manu tanquam abscessum perforando, aegrotum aperte trucidavere, ita ut barbareae ignaviae victima non paucus ceciderit aeger exanguis. [7])

Magnificum exemplum medendi rationis, qua tunc temporis hujusmodi aegri tractabantur, historia Maximiliani II. Germanorum Imperatoris nobis exhibet. Impe-

1) Ambr. Paraeus de tumor. contra naturam. L. VI. c. 32. Francof. 1694.

2) R. Wagner. in Ephem. natur. curiosor. Dec. III. an. 5 et 6. Obs. 1791.

3) ab Hartenfels Pr. de corde ejusque affectibus. Erford. 1697.

4) J. B. Fantonus observ. anat. med. sel. obs. 1 et 4.

5) cfr. e. gr. Bonet. sepulcret. anatom. L. IV. sect. 2. obs. 21. §. 7. — Paul. Barbette prax. med. L. II. c. 3. — Laz. Riverius Cent. IV. obs. 34. etc. etc. — Paraeus opp. L. VI. c. 32.

6) hujusmodi aegri, ut notum est, vehementissimos paroxysmos perpetiuntur, ita ut Albertinus non inepte ediceret: „eosdem multoties emori". cfr. tractat. ejus. p. 395.

7) Atrocissima hujuscemodi exempla leguntur in: Lancisii de motu cord. atque aneurysm. L. II. c. 2. prop. 21. L. II. c. 7. prop. 58. — Amat. Lusitan. L. VI. obs. 8. — Morgagni de sed. et caus. morb. Ep. 50. No. 10. — Guattani histor. XV. et XVIII. pag. 54. etc.

rator, cordis quodam morbo, qui vehementissima cordis palpitatione sese manifestabat, excrutiatus, HIERONIMUM MERCURIALEM consuluit, qui, frigidos flatus, ut causam, accusans Theriacam, Alexipharmaca et Amuleta ex Smaragdo et Hyacintho [1]) parata praescripsit. Quae, quum ut reliqua omnia nil, profecerint, Imperator, medicorum arti diffidens, ad virginis cujusdam, Ulmae tunc degentis veneficia confugit, quae succum papaveris illi propinavit etc. Postquam vero anno 1576 Imperator vitam cum morte commutavit, dissecto ejus cadavere, plures lapilli in corde reperti sunt. Qua de re magna exinde exorta est medicorum disceptatio v. gr. ANDREAS CAMUTIUS, Pisae Professor, KRATONEM A KRAFTHEIM, Imperatoris Archiatrum vehementer vituperavit ob venaesectiones ab illo adhibitas, quum ipse potius ad Aloën confugiendum fuisse, contenderet [2]) etc. etc.

Quid si tunc temporis medici, HIPPOCRATIS exemplum sequentes, methodum emaciantem, quam ille contra varicosam dilatationem non sine successu adhibuerat quondam, ad aneurysmaticam dilatationem simpliciter transtulissent? — Sed, rei historiam posthabendo, antiquitatis beneficia aut turpiter ignorarunt, aut improbe neglexerunt.

Solus MARCUS AURELIUS SEVERINUS [3]), Neapoli Professor, CAROLUM IX. Galliae Regem aneurysmate ex plethora tentatum [4]) debilitante quadam et emaciante methodo persanasse dicitur.

1) H. MERCURIALIS respons. et consult. med. tom. III. p. 270. ed. Venet. 1620.

2) ANDR. CAMUTII excuss. brev. praec. morb. nemp. cord. palpit. MAX. II. Florent. 1578. cfr. WIERUS de praestig. daemon. L. IV. c. 16. ERASTI consil. L. III. No. 10.

3) M. A. SEVERINUS de noviss. abscess. c. 7. in schol. No. 8. — Valde doleo, citatum SEVERINI librum mihi nunquam ad manus fuisse, SEVERINUS enim non parum de re nostra meritus esse videtur.

4) dum ad conscribendam hanc dissertationem varios de hoc argumento libros perlustro, inusitata eorundem cordis et praecordiorum vitiorum frequentia in hominibus nobilibus atque illustribus non parvam mihi injicit admirationem; commemorata enim invenio:
   a) in GEORGIO II. Britanniae Rege. cfr. SCHMUCKER *vermischte Schriften.* III. p. 264. et philosoph. transact. Vol. III. pag. 269.
   b) in Regina MARIA DE MEDICIS. cfr. RIOLAN. Anthropol. L. III. cpt. 12.
   c) in supra memorato MAX. II. Germanor. Imperatore. cfr. MERCURIAL. loco citato.
   d) in supra memorat. CAROLA IX. Gallorum Rege. cfr. M. A. SEVERIN. l. cit.
   e) in GUSTAVO ADOLPHO Suecorum Rege. cfr. A. W. OTTO *path. Anatomie.* §. 171. Note 2.
   f) in PHILIPPO V. Hispanorum Rege. cfr. ZIMMERMANN *von der Erfahrung.* B. II. p. 449.
   g) in CAROLO AUGUSTO Suecorum Regali. cfr. TESTA *über die Krankheiten des Herzens.* p. 160.
   h) in Marchisio St. AUBAN. cfr. TESTA l. c. p. 178.
   i) in CASIMIRO Marchioni Brandenburgico. cfr. SCHENK A GRAFENBERG observat. medicinal. L. II. de corde. p. 452.
   k) in Ducis Brunswicensis uxore cfr. Academ. Royale des sciences de Paris a. 1732.
   l) in tribus Principibus Marchionatus Baaden. a PETR. FRANKO observat. cfr. BURNS *von einigen der häufigsten und wichtigsten Herzkrankheiten.* p. 340.

Sic sese res habuit sub finem Saeculi XVII. — Nulla adhuc rei inerat claritas, nulla digestio, nulla rerum singularum in unum concinnatio. Prima tantum rudimenta de morborum illorum natura, causis, signis et medela incomposite dispersa circumjacebant.

At tandem una cum insequente Saeculo XVIII. novum sidus desideratam lucem per calligines illas dispersit.

Johannes Maria Lancisius (1674 — 1720) a primo praxeos curriculo organica praecordiorum vitia ut peculiarem sibi singularis studii materiam designavit, ita ut jam anno 1702 Romae in Archilyceo, anatomiae Professoris munere fungens, omnium medicorum primus de *praecordiorum aneurysmatibus eorumque medela* publicas praelectiones habere potuerit. [1]) — Ultra magnam, ut supra vidimus, in diversis codicibus reconditam observationum copiam, ad quam diligentiori cuique medico accessus patet, Lancisium prae ceteris in proposito illo inusitata adjuvavit opportunitas. — Neque enim sola praxeos per urbem maximam vicinasque regiones frequentia, et, quo in nosodochio S^ti^ Spiritus fungebatur, medici munus, illius sagacitati multam suppeditarunt materiam — sed ipsa etiam reliquis civibus romanis infausta aetas Lancisio auxiliatrices porrexit manus. Nam, quum decursu aestatis, autumni et hyemis anni 1705 usque ad aequinoctium vernum anni 1706. Romae repentinae mortes [2]) frequentissime grassabantur, Papa Clemens XI. Archiatro suo Lancisio officium inusitatae illius rei causas investigandi delegavit. [3]) Hac ratione concessa est Lancisio occasio, qua tum in nosocomiis, tum in civium domibus, quam plurimos repente emortuos dissecare posset.

Lancisius omnia, quae ex contentionibus suis prodierunt, doctrinae nostrae incrementa, in duobus libris nobis reposuit. — Jam anno 1707 tractatum suum quasi ex professo conscriptum »de subitaneis mortibus« edidit [4]), in quo doctrinam de

m) in Principe puella G*. cfr. Journal de médecine. tom. 20. p. 209.
n) in Principe quodam viro ab Hippol. Francisc. Albertino observato in tractat. p. 385.
o) in Cardinali Gambara. cfr. Columbus de re anatomica. L. 15.
p) in filio Comitis Nivensis, Sancto a Valesco. cfr. Chr. a Vega ars med. L. III. sect. 6. c. 8.
q) in filio Vicecomitis Montgomery. cfr. Harvey exercitat. de circulat. sang. ad Riolan. pag. 149. ed. Lugd. Batav. 1737.
et tandem in permultis nobilibus quos omnes nominatim adducere longius esset.

1) cfr. Lancisii opera varia etc. tom. II. p. 143. Venet. 1739.

2) cfr. de repentinis mortibus e memoratis vitiis, quasi epidemice interdum grassantibus. Morgagni de sed. et caus. morb. Ep. XVII. XVIII. XXI. XXIV. XXV. XXVI. et Lancis. tractat. de eod. argumento.

3) Lancisii opp. tom. I. pag. XXXVI. ed. Venet. 1739.

4) integra inscriptio est: Joh. Mariae Lancisii intimi Cubicularii et Archiatri Pontificii de subitaneis mortibus Libri duo. Romae typis Joh. Francisci Buagni anno 1707. in 4.

praecordiorum aneurysmatibus eorumque medela primis quasi lineamentis adumbravit; opus vero »de motu cordis atque aneurysmatibus«, quod fusius atque distinctius agit de eorundem vitiorum aetiologia, nosologia, symptomatologia et therapia, et in quo conscribendo omni sedulitate ultra viginti annos contriverat, demum post mortem ejus anno 1728 in lucem prodiit. [1])

Videamus igitur, qua ratione vir, antiquorum medicorum litteris familiaris, ingenii acumine, observandique facultate praeditus, datam illam opportunitatem in scientiae incrementum atque aegrotantium salutem converterit. — Lancisius, ut supra vidimus, quaecunque concedebantur emortuorum sectiones, instituit, indeque multo frequentius, quam ipse opinatus erat, organica illa vitia reperit [2]), ita ut ad hanc denique devenerit sententiam: »Etenimvero post frequentiora corporum extispicia nobis clare »innotuit, multos, qui extempore moriuntur, internis aneurysmatibus aut varicibus »laborasse«; [3]) et alio loco: »subinde utilitas non aspernabilis lectoribus accedet, »cum noverint, pleraque praecordiorum mala, quae sub diuturni asthmatis, haemo-»ptyseos, palpitationis, cachexiae, hydropis aliarumque pertinacium adfectionum, »mortisque etiam subitaneae larva desaeviunt, a majorum vasorum varicibus atque »aneurysmatibus proficisci.« [4]) —

In cunctis, quae observavit aneurysmatibus internis, peccans arteriae segmentum in tumorem pulsatilem, plus minusve distentum, intumuerat, partes vero, tumorem constituentes, non semper eadem ratione sese habebant. [5]) — Interdum enim tubus arteriae, integris ceteroquin tunicis, ultra naturae limites erat dilatatus — quod vitium Lancisius *aneurysma spurium* seu *illegitimum* nuncupat [6]); interdum vero, disrupta vel erosa membrana interna et media, saccus aneurysmaticus a sola externa arteriae tunica conformatus erat [7]), — quod *aneurysma verum* seu *legitimum* nominat, interdum

1) sub inscriptione: J. M. Lancisii a secretiori Cubiculo, et Archiatri Pontificii de motu cordis et aneurysmatibus opus posthumum. Romae apud Joh. Mar. Salvioni anno 1728. fol.

2) cfr. adhuc de subit. mort. L. I. c. VIII. No. 3. — ibid. L. I. c. V. No. 4. 5. c. X. L II. c. II. No. 1. — ibid. L. II. observ. eorum, qui eod. morb. perierunt obs. II. et V. — De mot. cord. et aneur. L. II. c. II. prop. 24. — ibid. L. II. c. IV. prop. 42.

3) cfr. de subit. mort. L. I. c. XIX. No. 11.

4) cfr. opp. Lancisii ed. Venet. 1739. Tom. II. p. 144. de motu cord. et aneur. in occas. scribendi.

5) cfr. de mot. cord. et aneur. L. I. prop. V.

6) Lancisio igitur illud ipsum aneurysma spurium audit, quod nos aneur. verum appellamus.

7) Lancis. de mot. cord. et aneur. L. II. c. II. prop. 22. pag. 232. — Eandem aneurysmatis conformationem in arteriis externis jam Sennertus L. V. p. 1. c. 43. vidit. — Van Horne vero denegat eam, dicendo: «Nunquam vero potui concipere, quomodo, rupta interna et crassa arteriae tunica, integra remanet «externa, tenuissima, aranearum telis similis (quod placet Sennerto).» (Microtechn. §. 26.) — Paulus Barbette in Chirurg. c. 16. p. 2. L. I. aliam profert opinionem: «Harum (tunicarum) interna, corrosa aut «rupta externa, in tantum distendi potest, (absque ruptura, quidquid alii contradicant) ut aneurysma «causetur.»

denique distentati arteriae parietes, superveniente disruptione aut corrosione, sanguini egressum concesserant, id quod *aneurysma mixti generis* Lancisio hinc inde audit. [1])

In omnibus aneurysmatibus internis sanguinis concrementum illud, et quidem duplici natura, [2]) modo solidis fibrosisque laminis sibi invicem superimpositis, carnemque mentientibus, modo homogenea sanguinis grumosi massa conformatum offenderat. [3]) — Ejusdem concrementi genesin juxta chymico-mechanicam theoriam declarat, et in finem, ad quem conformatur, inquirens, medicatricis naturae salutare praesidium: — »quominus impetuosus sanguinis torrens in proxima cava et vicina »spatia, citam mortem inducturus, erumpat,« — pie agnovit. [4]) Quinimo spontanea ac perfecta aneurysmatis alicujus sanatio per ejusmodi thrombum Lancisio jam innotuit. [5])

Ossium thoracis per aneurysma corrosionem et destructionem frequenter observavit, eamque ex ichore erodente deduxit. [6]) Juxta illas observationes Lancisius generalem aneurysmatis definitionem his verbis conscribit: »Sit igitur generalis hujus »mali definitio nimirum: aneurysma est imminuta plus minusve, aut omnino ablata, »cohaesio villorum contractilium, arterias et cor alicubi texentium, unde oritur vel »tumor pulsatilis arteriae, vel fluxus vehemens ejusdem sanguinis extra arteriam.« [7])

1) Lanc. de mot. cord. et aneur. L. I. c. V. pr. 39. 40. 42. — Lib. I. c. II. pr. 27. — L. II. c. IV. p. 239. — Ex definitione aneurysmatis spurii et veri in Libr. I. c. V. patet quidem, Lancisium distinctionis rationem a causarum natura repetiisse; ex ipsis vero insequentibus propositionibus et exemplis videmus, Lancisium hanc rationem minus respexisse, quam ipsius tumoris constructionem. —

2) quod jam Vesalius loco citato observavit. — Cfr. de hac re Morgagni de sed. et caus. morb. Ep. XVII. No. 29.

3) v. g. de mot. cord. et aneur. L. II. c. VII. propos. 61.

4) ibid. et in L. I. c. II. pr. 21. in schol. — Eadem haec pia opinio maximam sibi postea vindicavit auctoritatem. Guattanus enim, et secundum eum recentioribus temporibus Hodgsonius, spontaneam aneurysmatum externorum curationem juxta illam declarantes, in eandem fundaverunt efficacissimam illam internorum aneurysmatum medendi rationem; Guattanus nimirum ubi dicit: »Haec naturae ipsius »providentia haberi potest tamquam exemplum in internis aneurysmatibus, quae, quoniam longam »nonnunquam aegri vitam non denegant, ac interdum omnia, quibus stipantur, symptomata omnino amit- »tunt, falsam ingenerant opinionem, medicinae Professores toto errasse coelo in eorundem constituenda »affirmandaque praesentia.« (Guattanus de extern. aneurismatib. Histor. 18.) — Hodgsonius numerosis casibus (Case XX — XXXII.) ad evidentiam usque comprobat, internum etiam aneurysma per istiusmodi concrementi depositionem consanescere posse. Dicit igitur loco supra citato pag. 114: »*The* »*obliteration of the sac in consequence of a deposition of lamellated coagulum in its cavity is the mode, by* »*which the spontaneous cure of aneurism is in most instances effected;*« et ad calcem Sectionis III. p. 164: »*Thirdly: in some instances the cure is effected by the obliteration of the cavity of the sac, without any* »*obstruction taking place in the calibre of the artery, from which the disease originates; in this manner* »*a cure may take place in aneurisms of the aorta.*«

5) Lancis. de mot. cord. et aneur. L. II. c. IV. prop. 38. —

6) ibid. L. II. c. II. prop. 21. 22.

7) ibid. L. I. prop. IV. —

De necessitate accuratioris aneurysmatum distinctionis et divisionis sic disserit: »Quinimo (quod maximi est) quum non eadem omnibus, sed singularis singulis ex »praedictis causis propria opponatur curatio, unica certe mentis notione multiplex »hujus mali status, et causarum concursus, contineri non poterit, sed opus erit, in »suas classes ac differentias probe referre.« [1]) — Ideoque aneurysma verum et spurium pro praevalente causa in plures species subdividit nempe: I) Aneurysma verum s. legitimum in: 1) an. ex vulnere, — 2) an. ex contusione, — 3) an. ex fluido erodente. — II) Aneurysma spurium s. illegitimum in: 1) an. ex sanguinis impetu, — 2) an. ex sanguinis plenitudine, — 3) an. ex arteriarum convulsione; [2]) quarum singularum specierum et nosologiam et aetiologiam et symptomatologiam, et therapiam in singulis capitibus et propositionibus singulatim pertractat. —

Ad construendam generalem aetiologiam, in quam, ut ipse confitetur, [3]) longe maximam impendit operam, his utebatur observationibus. In corporibus juvenilibus, sanis atque robustis rarissime aneurysmata interna deprehenderat, omniaque talia (plerumque spuria) non nisi manifesta externa causa producta; [4]) contra longe plurima in corporibus aetate provectioribus atque dyscrasia quacunque laborantibus vidit, in quibus omnibus praeterea cunctae arteriae omnino graciliores et male nutritae vel etiam erosae occurrebant. [5]) Itaque de aneurysmate ex contusione haec protulit verba: »Etiamsi aneurysma, a contusione natum, sua natalitia externae causae debere videatur, »nihilominus, ut superius (propos. 20.) probavimus, nisi cum interioribus causis, puta »cum naturali gracilitate arteriarum et copia pravorum succorum in contuso corpore »reduntantium aliquando complicetur, vel nunquam, vel tarde, vel minus certe lethale »produceretur;« [6]) — et paulo inferius: »et frequentius in hujusmodi malis, quam »vulgus medicorum patet, occurrens existit textura languidula et satis infirma arteriarum »omnium.« [7]) Ex eadem ratione aneurysma ex fluido erodente plus media parte in gulosis et bibacibus, reliqua autem in hypochondriacis, hystericis, scorbuticis, herpeticis, syphiliticis et in iis, qui litum mercurialem pluries perpesserant, vidisse se

1) Lanc. de mot. cord. et aneur. L. I. prop. V.

2) eodem loco et in seqq. propositionib. singulatim.

3) Lanc. opp. varia ed. Venet. 1739. tom. II. p. 143: »illud autem non mediocriter me sollicitum habebat »nimirum pernecessaria multiplicium causarum hujus morbi colligatio ac veluti harmonica in universo »opere enucleanda distinctio.« —

4) Lanc. de mot. cord et aneur. L. 1. prop. V: »Hanc speciem (an. spur.) producunt validi corporis co- »natus in Bajulis et Tibicinibus, qui motum atque impetum sanguinis naturali constitutione longe vo- »luntariis suis nisibus majorem reddunt.« —

5) ibid. L. I. pr. IV. ibid. L. II. cpt. II. prop. 20. 22 cpt. II. pr. 34.

6) l. c. L. II cpt. II. prop. 22. initio.

7) ibidem in scholio.

contendit.[1] Item aneurysma ex aucto sanguinis impetu aut mole, nisi accesserit aliqua solidorum et fluidorum in corpore depravatio, raro occurrere.[2] Aneurysma ex spasmodica arteriarum convulsione interdum in hypochondriacis et in delicatis nutricibus, quae supra vires infantibus lac praebuerant,[3] praesertim vero in hystericarum abdomine observavit,[4] ita tamen, ut ab initio spuria, postmodum aneurysmatis veri indolem induerint.[5] — Interdum et ex diuturnis vehementibusque animi pathematibus aneurysmata exorta esse videbantur.[6] —

E quibus singularibus haec abstraxit generalia. Aneurysma in genere perraro unius et simplicis, rarissime vero mere externae causae progenies est;[7] — ut plurimum plura potius concurrunt momenta.[8] Longe frequentissima culpa haeret in prava quadam corporis et arteriae nutritione, aut constitutione,[9] quae, ad aneurysma provocandum, jam per se valida,[10] concurrente insuper altero aliquo, vel levissimo momento, eo facilius protrudit aneurysma.[11] Proximam istiusmodi constitutionis causam (juxta illius aevi consuetudinem) *fluidorum in corpore redundantium acorem*, — *copiam salium erodentium in sanguine*, — *succum depravatum atque particulis acrioribus scatentem* etc. etc. ubivis in ore gerit.[12]

Generalia aneurysmatis thoracici symptomata, quorum non unico, sed ne omnibus quidem, satis confidendum esset,[13] sic dipingit: »Quo fit, ut primum de vaga,

1) l. c. L. II. cpt. III prop. 31. 34. c. IV. pr. 41. — Mercurii usum, praesertim sub forma litus, ut aneurysmatis causam, jam Ballonius (parad. 13.) et Paræus (opp. L. IV. c. 32.) et post Lancisium omnes de hac re scriptores accusant.

2) l. c. L. II. cpt. IV. prop. 39.

3) l. c. L. II. cpt. IV. prop. 46.

4) l. c. L. II. cpt. IV. prop. 39. 44. 45 46. — Naturam hujusce mali, et praesertim pulsationis illius abdominalis, quam hoc loco Lancisius in aneurysmatum numerum refert, H. Fr. Albertinus (in tractat. suo) et Morgagnus (de sed. et caus. morb. Ep. XXIV. prop. 34 seqq.) et subsequentes de hac re scriptores accuratius cognoverunt, et equidem cum ill. Puchelto (*Heidelb. klin. Annal.* B. III. H. IV. No. VI. *Ueber Aneur. der Bauchaorta* p. 601.) et cum Lænecio (*Abhandl. von den Krankh. der Lungen und des Herzens u. s. w., übersetzt von* Meissner II. pag. 591 seqq.) pro nervosa adfectione haberem.

5) l. c. L. II. c. IV. pr 39.

6) subit. mort. L. I. c. 22. No. VI. et de mot. cord. et aneur. L II. c. IV. pr. 44.

7) Lanc. de mot. cord. et aneur. L. II. cpt. II. prop. 20.

8) ibid. L. II. c. II. prop. 22 24. 26. cpt. IV. prop. 39. 40. — de subit. mort. observat. emort II. schol. No. II.

9) de mot. cord. et aneur. L. II. c. II. pr. 22. cpt. III. prop. 30. v. gr.: »modum autem, quo hujusmodi »aneurysmata eveniunt, probabiliter censemus morbosam nutritionem alicujus sectionis arteriae.«

10) ibid. L. II. c. IV. pr 43.

11) ibid. L. II. c. III. prop. 29—36. pr. 43. — subit. mort. observat. mortuor. obs. V. schol. No. 3.

12) subit. mort. cpt. 23. No. VII. et de mot. cord. L. II. c. III. c. IV. pr. 43. et L. I. prop. V. — subit. mort. obs. V. schol.

13) subit. mort. L. I. c. 17.

»huc illuc per collum et artus errante, arteriarum palpitatione conquerantur. Deinde »intra pectus malum sistitur, saepe tussis urget, cor salit et gravius pulsat, mox »sepultus ac brevi fugitivus corripit dolor, qui postea pertinacius haeret, et modo »ad alteram scapulam claviculamve, modo per brachium, quandoque usque ad cu- »bitum propagatur, tandem profunda persentitur pulsatio, elevantur alicubi costae aut »sternum, ceteraque succrescunt gravia et prorsus miseranda atrocis hujus mali phae- »nomena, quae ut plurimum subita morte finiuntur.« [1]) — His symptomatibus alia adhuc hinc inde adjungit; v. gr. pulsationem illam profundam cordis ictibus esse synchronam, [2]) sub finem morbi pulsationem in tumore remittere, et plane cessare, [3]) aegrotum cordis angore, anhelitu, orthopnoea, [4]) animi deliquiis et pathematibus excruciari [5]) etc. Pulsuum inaequalitatem, exilitatem, celeritatem etc. incertum semper esse signum. [6]) Omnes molestiae corporis animique motibus adaugeri, quiete vero remittere [7]) etc. — Diagnostica tandem singularum specierum symptomata a causis supra memoratis repetit, v. gr. aneurysmatis spasmodici a periodicis paroxysmis hystericarum etc., [8]) aneurysma ex sanguinis mole ab habitu corporis plethoroso [9]) etc. etc. —

Quantum ad prognosin spectat, inveteratam illam atque perniciosam medicorum opinionem: *aneurysma internum sanari utique non posse*, maximopere impugnat, et rationibus experientiaque satis refutat. [10]) — Medelam eo felicius procedere semper, quo maturius suscipiatur; [11]) e contrario, aneurysma diu neglectum, plerumque palliativam duntaxat curam admittere, qua tamen, probe instituta, in longum vita produci possit. [12]) Corporis constitutionem validam faustum exhibere prognosticum. [13]) Aneurysma spurium minus periculosum, et omnino facilioris esse medelae, quam an. verum. [14]). Rupturam semper esse lethalem [15]) etc.

1) subit. mort. L. II. obs. mort. obs. V. schol. II. p. 55.
2) de mot. cord. L. II. c. II. prop. 21.
3) ibid. et L. II. c. VII. pr. 58: Hanc pulsationis in tumore remissionem jam M. A. Severinus de obs. nat. p. 178. et Fr. Ruysch. obs. 38. observarunt.
4) cfr. ibid. L. II. c. VII. pr. 56. Jam Remb. Dodonæus loco supra citato adducit: »Hisce vitiis laborantes erecta cervice esse, coguntur.« —
5) cfr. v. gr. L. II. c. III. prop. 33. —
6) de subit mort. cpt. 19. No. 3.
7) ibidem cpt. 23. et multis aliis locis.
8) de mot. cord. L. II. c. IV. prop. 44.
9) ibid. L. II. c. IV. pr. 41.
10) de subit. mort. cpt. 23. No. VII. — de mot. cord. L. I. pr. V. L. II. c. II. pr. 23. — c. III. pr. 31. in fine.
11) de mot. cord. L. II. c. II. pr. 23.
12) ibid. L. II. c. II. pr. 24.
13) ibid. prop. 23.
14) ibid. L. II. c, IV. prop. 39.
15) de subit. mort. L. I· cpt. 13.

Hae sunt et observationes et animadversiones, quibus Lancisius doctrinam nostram de thoracico aneurysmate locupletavit; quae vero tam parum satisfecerunt praestantissimo huic medico, ut potius, pro sua, qua erat, et practica mente et ingenuo animo — eandem materiam ad aegrotantium quoque salutem elaboravit. — Quod ut adsequeretur, eandem, quam supra, ingressus est, viam, et ingenii face illucente, altera manu naturae contemplationem, altera historiae Musam ducens, a proposito scopo aberrare non potuit. Juxta complures tum proprias, tum alienas [1]) observationes, in quibus, praecedente aliqua causa v. gr. post vehementem pectori impactam contusionem in cachecticis vel plethoricis corporibus, aut praegressa diuturna animi adfectione, aut arteriarum convulsione etc., levissima signa germinantis forsitan aneurysmatis suspicionem jam induxerant, acuta circumspectaque praecautione perniciosum illud malum praevertebatur, vel etiam manifeste jam pullulans aneurysma reprimebatur, quinimo jam extrorsum ad thoracis superficiem comparens persanabatur.

Itaque, experientia edoctus, iterum atque iterum primus adhortatur medicos, ut atrox illud malum praesagiatur imminens, [2]) ut probe cognoscatur incipiens, [3]) ut acute dignoscatur jam extans; [4]) quo maturius praecaveatur, [5]) quo facilius intercipiatur, [6]) ac denique, quo tutius certiusque persanetur, aut mitigetur saltem. [7]) Etiam atque etiam monet, ne aneurysma thoracicum pro abscessu interno habeatur, quod facile fieri possit in aneurysmate, post manifestam contusionem ad pectus comparente, praesertim, si sub finem morbi pulsatio, ut supra vidimus, in eodem jam remiserit; ceterum in abscessu pulsationem magis superficiariam esse, nec diutius perdurare, quam quousque pus confectum sit, in aneurysmate vero, augescente morbo, majorem profundioremque persentiri pulsationem. [8]) Medico ad medelam manus admoventi aneurysmatis stadia ingeniose distinguenda esse etc. [9]) Morbi causas [10]) variasque compli-

1) M. A. Severini.
2) de mot. cord. L. II. cpt. II. pr. 23.
3) ibid. L. II. c. IV. pr. 40.
4) ibid. L. I. pr. V. et L. II. c. IV. pr. 40: »Medici tanto studiosius debent inquirere in scientiam incipientium spuriorum aneurysmatum, quanto haec, si statim cognoscantur, minus difficulter, quam pleraque legitima, curari soleant.«
5) ibid. L. II. c. II pr. 23: »Chirurgus, anatomicam facem prae se ferens, praeire debet manifestationem claram et nimis apertam istius mali, ut illud, si fieri potest, praecaveat, vel, si non potest, praeproperam saltem necem ab aegroti foribus arceat.«
6) ibid. L. II. c. IV. pr. 44. 45.
7) ibid. L. II. c. II pr. 24.
8) ibid. L. II. c. II. prop. 21. in schol. et L. II. c. VII. pr. 58.
9) ibid. L. II. c. IV. pr. 42.
10) ibid. L. I. pr. V. et L. II. cpt. III: »Cum revera hujusmodi malum, quod quidem curari non potest, *nisi potissimum causae ratio habeatur*, non raro in praxi contingat« etc.

cationes [1]) et praeprimis aegri constitutionem ubivis, ut prima semper respicit indicantia, [2]) ad quorum amussim medelam modificat. [3])

De medendi ratione, quae supradictis indicationibus omnino satisfaceret, Lancisius diu dubius haerere non potuit; in promptu enim stabat Hippocratis illa, quam supra vidimus, medendi methodus, quam a *varicosa* dilatatione simpliciter ad *aneurysmaticam* transtulit.

In tractatu de subitaneis mortibus, ubi in genere de methodo praeservandi a subita morte ex aneurysmate interno agit; [4]) haec inveniuntur verba: »At vero, ut »plura simul complectamur, prae omnibus hisce in casibus valere censemus, quod »proponit Hippocrates in pectoris ac pulmonum varicibus, quarum sub nomine aneu»rysmata comprehendere videtur; [5]) inquit sane: *His confert, si circa exordia cu»randos susceperis, ut et venae e manibus sanguinem emittant, et diaeta, e qua »quam siccissimus et exsanguissimus evadat aegrotus* etc. Neque certe diuturna »praxis ullam tutiorem praeservandi methodum nos edocuit, quam si hujusmodi aegri »post parcas inter initia phlebotomias in vivendo sint continentes abstinentesque! Plures »idcirco novimus, qui praecordiorum aneurysmate correpti propter accuratum vitae »regimen, ad ultimum usque senium pervenerunt« etc. —

Generalem hanc et quasi fundamentalem methodum [6]) Lancisius laeto quidem, gratoque animo ex Hippocratis manibus recepit, sed, ut convenit cogitanti medico, in tractatu de motu cordis atque aneurysmatibus, pro ipsius arbitrio ad singulas aneurysmatis species adcuratius composuit. —

Lancisii enim, quum omne aneurysma internum non tantum ex topica arteriae distentione, quam potius ex depravata universi corporis constitutione deduceret, minus interfuisse debuit, ut evacuante quadam, per certum tempus omni severitate adhibita methodo aegrotum quam maxime exhauriret (ut quondam Hipp., qui longe aliam theoriam in animo habuisse videtur) — quam potius, ut pravam ejus constitutionem corrigeret, et male nutritas arterias consolidaret. — Itaque venaesectiones plerumque *parca duntaxat manu* et *nonnisi inter initia* adhibet, imo experientia edoctus,

1) de mot. cord. L. II. cpt. II. pr. 24: »De cetero, cum externa percussio lenius vel gravius malum ar»teriis inferat, juxta interiorum causarum corcursum: harum potissimum rationem habere debet cu»rans, qui pravae constitutionis videat indicia«

2) ibid. L. II. c. II. pr. 23. et L. II. c. III. pr. 33. et subit. mort. c. 23. No. III.

3) de mot. cord. L. II. c. II. pr. 24

4) de subit. mort. L. I. cpt. 23. No. VI.

5) Hoc loco Lancisius sibi ipsi contradicit, nam in tract. de mot. cord. L. I. prop. II. dissertis verbis contendit: »Hippocrates, medicina in cunis adhuc vagiente, nullius aneurysmatis meminit arteriarum.«

6) ut ipse eam nominat in tract. de subit. mort. L. I. c. 23. No. III.

medicos a largis et frequentibus venaesectionibus, praesertim in provectiori aneurysmatis stadio, revocat dicendo: »Saepe enim vidi aliquos, qui unum vitare cupientes »malum, alterum funestius (nempe ob nimiam sanguinis detractionem) cachexiam et »hydropem incurrerunt.«[1]) — Ex eadem ratione diaetam, quam Hipp. tam severam esse voluit, ut aegrotus quam siccissimus et exsanguissimus evaderet, *laudabilem* magis, et *mediocriter tenuem*,[2]) una simul cum usu *sex non naturalium rerum*,[3]) ubique tanquam optimum praesidium laudat;[4]) et sollicite dissuadet, ne vino[5]) succisve acetariis, acribus et acidis utatur aeger.[6]) Ideoque corporis constitutionem morbique complicationem quam maxime respicit,[7]) et *medicaminibus alterantiis* atque *vulnerariis*,[8]) quibus nimirum usquequaque peccantes acores temperentur, tunicaeque arteriarum corrosae et debilitatae consolidentur,[9]) maximam semper adjungit fidem etc. etc. In nulla vero aneurysmatis specie, etiamsi ex lue venerea provecta esset, mercurium adhibet.[10]) —

Morbi stadium, in quo haec methodus adhibenda sit, *ad initium* tantum restringit,[11]) et temporis spatium, per quod continuatur, ab *uno mense* ad *duos* vel *tres* extendit.[12])

Si tandem anquirimus, cuinam in specie praecordiorum vitio organico Lancisius laudatam medendi methodum opposuerit, contra unicum solummodo — neque illud tamen sine delectu — adhibitam invenimus, contra *majorum nempe internorum vasorum morbosam dilatationem.* — Cordis aneurysma, ut paulo infra videbimus, longe aliter tractare, suadet.[13]) —

1) de mot. cord. L. II. c. IV. prop. 42.

2) de subit. mort. c. 23. No. VII. VIII. IX. XXII. — ibid. L. II. c. 19. No. XI. — de mot. cord. L. II. c. IV. pr. 42. et in epistola ad A. C. Cocchium p. 50.

3) de subit. mort. c. 23. No. VII.

4) ibid. per integrum caput.

5) de mot. cord. L. II. c. IV. pr. 44.

6) ibid. L. II. c. IV. pr. 42.

7) ibid. L. II. c. II. pr. 23. 24. — L. I. pr. V.

8) ibid. L. II. c. II. pr 24: »Ac potissimum si vulneraria tam externa, quam interna propinet, in quo sane »remedii genere multum insistere opportet.« — Et porro ibid. L. II. c. IV. pr. 42.

9) de subit. cpt. 23. No. IX: »Dicemus duntaxat, vulnerarias decoctiones, si temperatae, nec admodum »resinosae fuerint, acre, quod in fluidis dominatur, facile absumere, talemque sanguini crasin conci»liare posse, per quam fibrae discissae aut plane coalescunt, aut saltem ab ulteriori plerumque vin»dicantur erosione.«

10) de mot. cord. L. II. c. III. pr. 34.

11) ibid. L. II. c. IV. pr. 40. 42.

12) ibid. L. II. c. III. pr. 31. — L II. c. IV. pr. 44. — L. II. c. III. pr. 33.

13) ibid. L. II. cpt. III. pr. 58. in fine.

At vero nobis experientiam, apud quam suprema semper in re medica auctoritas est, de efficacia hujusce methodi consulentibus, faustissima undecunque obvenit responsio. Jam enim in tractatu de subitaneis mortibus, [1]) complures aneurysmate correptos hac methodo ad senium usque perduxisse, in tractatu de aneurysmate [2]) duos vel tres, aneurysmate ex contusione tentatos, in melius semper vitam perducentes vidisse, confirmat. Porro [3]) perfectam sanationem aneurysmatis a contusione simul et acrium humorum apparatu dependentis enarrat; similique ratione duo aneurysmata ex syphilitide exorta commemorat, quae quamquam eo jam provecta erant, ut claviculam tumoris adinstar elevarent, perfecte tamen persanabantur. [4]) — Ulterius complures ab inchoante aneurysmate ex plenitudine liberasse, contendit, [5]) et simile quid de M. A. Severino refert. [6]) Tandem tria exempla sanati aneurysmatis ex arteriarum convulsione exponit. [7]) —

Sed proh dolor! — Suprema in hujuscemodi curationibus probatio — nimirum corporum aneurysmate liberatorum post mortem dissectio, quae coronam semper rei imposuerit, — nullibi instituta est. — Nihilo tamen secius Lancisius hanc suam methodum non *palliativam* duntaxat, sed et *radicalem* interdum praedicare, neutiquam haesitat. —

Haec de majorum vasorum aneurysmate. —

Cordis aneurysmata, sub qua voce simplicem cordis cavorum dilatationem comprehendit, seorsim multoque brevius pertractat, et his verbis introducit: »Doctrina »haec summopere necessaria videtur, non tantum, quia frequentius malum est, aneu»rysma cavorum et vasorum cordis, quam vulgus medicorum, ob raras ab iis insti»tutas cadaverum sectiones, hactenus putaverit, sed potissimum, quia occultae mul»torum malorum causae sunt investigandae, quae in ipsis cordis cavis dilatatis vel »obstructis repositae sunt. Puto siquidem nonnulla suffocativa asthmata, contumaces »cordis angores ac fluctuationes frequentes, pectoris hydropes, ac praesertim subitaneas »mortes uno ex fonte, inaequalibus videlicet atque repente disruptis vasibus cordis »pendere, ut pluries attentata cadaverum sectio me docuit.« [8]) Non solum vero sim–

1) subit. mort. c. 23. No. VI.
2) de mot. cord. L. II. c. II. pr. 24.
3) ibid. L. II. c. II. pr. 27.
4) ibid. L. II. c. III. pr. 33.
5) ibid. L. II. c. IV. pr. 42.
6) ibidem. —
7) ibid. L. II. c. IV. prop. 44 et 46. quae vero minus aneurysmata, quam potius nervosae arteriarum adfectiones fuisse videntur. cfr. supra pag. 19. nota 4.
8) ibid. L. II. c. VII.

plicem cavorum dilatationem, sed etiam adauctam simul parietum crassitiem et soliditatem observavit,[1]) beneque distinxit. Cordis aneurysma in dextro cordis latere multo frequentius, quam in sinistro vidit.[2]) Aetiologica momenta examinans, mechanico[3]) impedimento in sanguinis circulatione, v. gr. valvularum excrescentiis aut ossificationi,[4]) majorem impendit efficaciam, quam supra in vasorum aneurysmate; item animi pathematibus,[5]) ad eadem cordis aneurysmata provocanda, longe majorem culpam imputat. Organorum respirationi inservientium tensionem atque aegritudines, ut cordis aneurysmatum causam, probe agnovit.[6]) Ceterum in hoc quoque vitio *redundantes in corpore acredines* indeque producta *fibrarum laxitas* summum semper in aetiologia obtinent locum:[7]) »Id quod ex eo clarius demonstratur, quod aneurysmata cordis ut plurimum ac- »cidunt corporibus hypochondriacis, hystericis aut syphilitide adfectis, in quibus morbi »initio sola irritatio in fibris vel obstructio in canalibus facile contingit, progressu vero »temporis, acrium humorum copia redundante, adjungitur erosio« etc.[8]) Sed praeterea primus hereditariam quandam ad has laesiones dispositionem (praesertim in dextra cordis parte) accusat, et insigni quadam observatione satis superque comprobat, in qua »quatuor ordine sese excipientes generationes, proavum nempe, avum, patrem »et filium dilatatione dextri cordis lateris vexatos« vidit[9]) — Quoad symptomatologiam et semiologiam: »Istius autem, inquit, hereditariae adfectionis non leve signum »est, pulsatio quaedam in dextro cordis latere, quam adfecti, alioquin sani, percipere »adserunt, post violentas corporis exercitationes, aut post crapulam.»[10]) Praeterea aegri praecordiorum angore, frequente cordis palpitatione, anhelitu, aedematoso pedum tumore, sepulta quadam pulsatione in dextro thoracis latere, pulsuum inaequalitate[11]) etc. etc. laborare; nec horizontaliter decumbere posse.[12]) Verum omnium constantissimum signum dilatatae dextrae cordis partis semper esse undulationem quandam et

1) de mot. cord. L. II c. VI. pr. 48. initio, qui est idem morbosus status, quem LAENNECIUS 100 annis postea sub nomine «*aneurysma activum*» descripsit. loco cit. II. p. 399.

2) ibid. L. II. c. VII. pr. 52.

3) ibid. L. II. c. VII. pr. 49. 50. 51. 52.

4) ibid. L. II. c. VII. pr. 53.

5) ibid. L. II. c. VII. pr. 50. et init. propositionis 54: »Nova certe minime erit apud eos, qui longa praxi »exercitati fuerint, origo aneurysmatum cordis ex diuturnis animi pathematibus.«

6) ibid. L. II. c. VII. pr. 50. 55.

7) ibid. L. II. c. VII. pr. 52. 53. 56.

8) ibid. L. II. c. VII. pr. 51.

9) ibid. L. II. c. VI. pr. 47.

10) ibidem.

11) ibidem.

12) ibid. L. II. c. VII. prop. 56.

palpitationem venarum jugularium. [1]) Hoc signum vere esse pathognomonicum, dummodo diu perduret, nec periodice adpareat. Quo nimirum momento hancce undulationem ab illa jugularium venarum fluctuatione distinctam esse, qua chloroticae virgines laborare soleant. [2]) — Extremitatum gangrenam cum cordis vitiis interdum conjunctam esse, experientia edoctus, asserit. [3]) Hydropem denique frequentissimum illius morbi esse exitum. [4]) De prognosi nil disserit. De tractandis tandem cordis aneurysmatibus Lancisius, quamquam in propositione 46. pollicitus erat, in sequentibus propositionibus methodum subnectere: »qua cordis aneurysmata ab initio feliciter curari possint,« paucissima tamen haec duntaxat verba ad calcem propositionis 56. adjungit: »secundum »inchoatum cordis aneurysma non magnis atque frequentibus sanguinis missionibus, »quae sanguinem enervant et ad erodentia salia acuenda conducunt, sed potius blandis »dissolventibus ac vulnerariis curandum fuisse, cerussa semper stibii, sanguine hir»cino, syrupo de therebinthina, diluto salsae et consimilibus.«

Hanc cordis aneurysmatum tractationem ideo mihi tam negligenter obiterque subnexisse videtur, quod ea de re nulla ipsi prostabat experientia, sic ut et nullam enarret sanationis historiam. —

In enarrandis his a Lancisio praestitis diutius mihi commorandum esse censui, quo melius clarescant ejus merita, quae in omnibus, qui postea de eodem argumento conscribebantur libris, non pro merito laudata mihi videbantur, et quo facilius postea facta et dicta, tanquam additamenta, adjungere possim.

Quis enim medicornm, haec omnia hucusque relata respiciens, inficias ibit, Lancisium inter omnes, qui ante ipsum vixerunt, medicos de ***doctrina*** atque ***medela*** aneurysmatis praecordiorum longe optime esse meritum, maximamque sibi conciliasse et medicorum gratiam et aegrotantium. — Lancisius enim in re tam abscondita antea atque obscura fregit viam atque patefecit, ita ut eandem rem, antiquitatis huc illuc per libros dispersas observationes scite perite cum ipsius observationum et notionum divitiis concilians, ad doctrinae dignitatem extulerit, eâque quam maxime locupletatâ, primus in monographiam conscripserit, sic ut subsequenti posteritati non perdifficile esse potuerit, singula singulis adhuc adjungere. Lancisius tandem, Hippocratis illam

1) Hoc symptoma, quod jam antea medicorum oculis sese manifestasse videtur (cfr. Fernelius Patholog. L. V. c. 12. et observationem ab D. D. Homberco historiae Academ. scient. Paris. anni 1704. pag. 15. adnexam) primum tamen a Lancisio post frequentiores corporum sectiones ut pathognomonicum signum pronuntiari potuit. —

2) de mot. cord. L. II. c. VII. pr. 57. 60.

3) ibid. L. II. c. VII. pr. 53. Similes observationes reperimus in Vesalii corp. hum. fabric. L. I. c. V. p. 17. et in Fabr. Hildani Centur. II. obs. 99.

4) ibid. L. II. c. VII. prop 61.

methodum ad rei necessitatem circumspecte modificans, non paucos aegrotos a crudelissimae mortis tentationibus benigna manu vindicavit. —

Patefacta erat in doctrina nostra via, prostabant splendita sanationis exempla; sed ne Lancisii quidem auctoritas medicos, inexcitabili somno oppressos, resuscitare potuit. — Coaetanei et proxime subsequentes scriptores, etiamsi ad *scientiam* vitiorum illorum haud parum contribuerint, de *cura* tamen non nisi obiter negligenterque semper egerunt. —

Jacobus Sinibaldus eodem anno 1707, quo Lancisius tractatum de subitaneis mortibus edidit, librum suum »parva methodus medendi« inscriptum in lucem prodidit,[1]) in quo rem nostram aliquantulum tetigit, de cura vero nil disserit, nisi quod in parte II. animadv. 18. p. 153. contenderit, in istiusmodi morbis venaesectiones parcas plethoricis quidem et juvenibus hominibus conducere, largas vero, et praesertim in melancholicis et gracilibus corporibus, plane nocivas esse, adjiciens: »sanguinis enim mas«sam, spirituoso volatili nimis spoliando, sales in fluorem dissoluti majorem nancis»cuntur aciditatem, motusque convulsivos aneurysmati adaugent, ut nonnunquam »observavimus.« Videmus igitur tales ideas tunc temporis fuisse usitatissimas. —

Johannes Fantonus (1713) de curatione haec solummodo animadvertit: »Laudata »in iis sobrietas, qui hoc morbo laborant, ne, aucta humorum copia et cordis energia, »major sequatur arteriae expansio.« [2]) —

Sed etiamsi medicorum multitudo rem a Lancisio tantopere excultam tam parum respiciebat, a duobus tamen medicis Bononiae degentibus, ubi tunc temporis istiusmodi morbi, teste Sbaraglio, frequentius occurisse dicuntur,[3]) ad altiorem adhuc perfectionis gradum elata est, a Valsalva nimirum et Albertino. —

Antonius Maria Valsalva (1666—1723) in Academia Bononiensi satis celebratus Professor anatomiae*, Morgagni praeceptor, per multos annos in aneurysma *aortae thoracicae* omnem diligentiam et studium convertebat, a praematura vero morte praeventus, umbratiles duntaxat observationes de hac re in schedis reliquit, quarum plurimae, a Morgagno in libro de sedibus et causis morborum repositae, veritatem eorum, quae Lancisius observaverat, confirmant. De cura Valsalviana Morgagnus nobis haec refert: »Antequam scribendi finem facio de aneurysmatibus (thoracis), a »Valsalva multo saepius, quam credidisset, per anatomen in arteria aorta deprehensis »committendum mihi non esse intelligo, ut silentio id prorsus dissimulem, quod tanta

1) Jacobi Sinibaldi parva methodus medendi. Romae 1707.

2) Joh. Fantonus observat. anatomic. medic. obs. 1. §. 10. p. 5. Venet. 1713.

3) cfr. Sbaragli Dissert. Ep. II. et Ant. Matani de aneurysmaticis praecordiorum morbis etc. edit. Francof. 1766. §. 1: »Praecordiorum aneurysmata nostrae praesertim Italiae hoc aevo familiarissima.« —

»exitialis morbi frequentia permotus, cogitare coepit, nimirum, ut ipsi inter initia oc-»currendo incrementum progressumque interciperet. Hoc quidem, ut multa alia, »annis illis posterioribus, VALSALVA scribere praetermisit, cum aliis tamen communi-»cavit, ac nominatim cum praestanti medico, spectataeque, si quis alius, fidei, viro »JOHANNE ANTONIO STANCARIO, a quo ipse, quum 1728 Bononia transirem, id, et quae »subjiciam, accepi. Scilicet: misso quantum opportebat sanguine, factisque ceteris, »quae postea scripsit ALBERTINUS, cibum potumque VALSALVA magis magisque in dies »singulos imminuere consuevisse, usque dum eo pervenerit, ut pultis selibram mane »daret, vespere autem dimidio minus, nec aliud praeterea, si aquam excipias, et hanc »quoque intra certum pondus, quam aut gelu, ut vocant, cydoniorum, aut lapide »osteocolla medicabat in tenuissimum pulverem comminuto. — Ubi satis aegrum hac »ratione macerasset, ut prae imbecillitate vix e lectulo, in quo, ipso praecipiente, »jam inde a principio decumbebat, manum attollendi facultatem haberet, paullatim in »dies singulos alimentum auxisse, donec rediissent ad surgendum necessariae vires.» [1]) — Tantae severitati parem respondisse utilitatem, nam quod HIPPOCRATES loco multoties citato subjecit de dilatatis venis: „si curentur incipiente morbo rursus in loco venae »considunt ad latus, humilesque fiunt,» idem prorsus ab eadem curatione, in tem-pore adhibita, ipsis quoque accidisse arteriis. Id quod VALSALVA non solum ex pul-sationis ceterorumque signorum discessione intellexerit, quae aneurysma incipiens comitantur, sed et ipsis oculis usurpaverit; cum enim vir nobilis, quem sic persanaverat, ex alio postea morbo forte interiisset, arteriam, in qua olim aneurysmatis initium fuerat, contractam rursus ad naturalem modum, sed quasi callosam eo loco depre-hendisse. — ALBERTINUS [2]) nobis refert, VALSALVAM cum successu eandem methodum ad-hibuisse; et modo laudatus STANCARIUS, e MORGAGNI saltem fide, [3]) juniorem monacham, aneurysmate thoracico laborantem, feliciter percuravit atque haec animadvertit: »pri-»mis illis, quibus sic curati surgere incipiunt, diebus pulsationem redire, sed terreri »non opportere, neque enim illam perstare, immo demum omnino evanescere, neque »amplius reverti, nisi forte homines nolint se intra moderatas vivendi leges continere.« Hoc phenomenon mirum in modum convenit cum eo, quod contingere solet in aneu-rysmate externo, paulo post ligaturam juxta HUNTERI methodum adhibitam. [4]) VAL-SALVA laudatam methodum, ut vidimus, inprimis contra aneurysma aortae thoracicae

1) cfr. MORGAGNI de sed. et caus. morb. Ep. XVII. no. 30 seq.

2) vide in libro infra citato.

3) MORGAGNI de sedib. et caus. morb. Ep. XXV. no. 30.

4) cfr. v. gr. CHELIUS *Handbuch der Chirurgie* §. 1254.

adhibuit, sed, teste Cl. Benevolo, [1]) externa quoque aneurysmata simili ratione persanavit. [2])

Hippolitus Franciscus Albertinus (1662—1738) in Academia Bonon. Professor, item Morgagni praeceptor, morbosam cordis atque aortae dilatationem speciali attentione dignam judicabat, summoque studio atque doctrina per multorum annorum seriem pertractabat, et quantum inde percepit bonae frugis in tractatum conscripsit, cui titulus est: animadversiones super quibusdam difficilis respirationis vitiis a laesa cordis et praecordiorum structura pendentibus. [3]) —

Albertinus quoque, aeque atque Lancisius et Valsalva, frequentius, quam ipse opinatus erat, in emortuis, qui, dum vivebant respirationis difficultate laborabant, cordis vitia organica et imprimis dilatationes illas reperit. [4])

Uti Lancisius dilatationem cum *incrassatis* parietibus cordis — ita Albertinus eandem cum *extenuatis* parietibus observavit, et a simplici dilatatione distinxit. [5]) Simplicem dilatationem subdividit in *vitium generis aneurysmatici* et *vitium generis varicosi*, his verbis ea definiens: «Simulque puto, simplices dilatationes, aut auriculae, «aut ventriculi sinistri, aut cordis totius (sinistri), aut aortae ad primum genus; dila- «tationes autem caudicis venae cavae, aut auriculae, aut ventriculi dextri, aut arteriae, «aut venae pulmonariae ad secundum genus referre ut plurimum posse.» [6]) De natura aneurysmatis aortae plane tacet. In aetiologia autem mirum in modum ac prope verbotenus [7]) convenit cum Lancisio. Animi tamen pathematibus longe maximam imputat

1) Observat. 11. — cfr. adhuc Morgagni l. c. Ep. L. No. 10.

2) Non abs re esse censeo, adnotare, jam anno 1673. Bernardinum Gengam, Romae in nosodochio St. Spiritus Chirurgum, consimili methodo sanasse quendam, cui a Barbitonsore in brachio dextro arteria loco venae sauciata fuerat. Post adhibita idonea brachii circumvolutione hac ratione tractabatur: *Verso la sera fù fatta nova emissione di Sangue dal Braccio sinistro, la quale nel progresso della Cura fù reiterata più volte. Il vitto fù prescritto tenuissimo refrigerante, et incrassante dal Signor Francesco Malvetani uno de Medici Principali di S. Spirito, che aveva il detto Patiente in Cura avendo però riguardato alle forze del Patiente, il quale sostenne benissimo il tutto essendo assai robusto, e certo che fù tale la tenuita del Vitto, che bastava piu tosto per non morire che per commodamente vivere.* Et persanatus est. cfr. B. Genga anat. chirurg. Rom. 1686. p. 220. — Simile quid a Garzia a Lopes factum est. cfr. Acta Bonon. p. 397. et conf. adhuc Morgagni de sed. et caus. morb. Ep. XVII. No. 31.

3) cfr. De Bononiensi scientiarum et artium instituto et academia commentarii tom. I. p. 382.

4) ibid. p. 382 et 401.

5) cfr. Albertini l. c. pag. 390. quod vitium postea Corvisartus et Laennecius (l. c. II. p. 395.) *aneurysma passivum* appellarunt.

6) Alb. l. c. p. 383.

7) confer. v. gr. p. 386: »Alias insuper notas colligo ab iisdem aegris, eorumque vitae genere, ut puta si »helluones, bibaces, tibicines, seu fistularum, quae contentiore spiritu inflantur, modulatores sint; si »veneream luem, et maxime si mercurii unctionem pertulerint: alias denique a praegressis hypochon- »driacis, hystericis, rheumaticis, catarrhalibus, haemoptiicis, herpeticis etc. adfectionibus, nec non a

culpam (quoniam eadem vitia in bestiis, animi adfectionibus haud obnoxiis, perraro occurrant) ita quidem, ut post diuturnas animi adfectiones vitia generis varicosi, post subitas autem ac vehementes eadem generis aneurysmatici exorta vidisse, contendat [1]) etc. Uti Lancisius in illorum vitiorum causas internas, ita Albertinus in singula eorum symptomata et signa quam acutissime inquisivit, [2]) et in his iisdem longe plurimum praestitit. — Exercitatiori quoque medico diagnosin semper esse difficillimam. [3]) Ultra illa a Lancisio jam commemorata signa alia adhuc enumerat: [4]) Ineunte morbo somnum esse interturbatum, postmodum aegrotos coactos esse, erecta cervice in lectulo residere, vel antrorsum in pectus sese inclinare; deglutendi impedimentum et respirationis semper difficultatem supervenire, [5]) idque eo citius et impensius contingere, quando in vena pulmonari organicum vitium resideat. [6]) Pulsationem et palpitationem in abdomine saepius occurrere, quin aneurysma inibi existat, praesertim in hominibus hypochondriacis, hystericis et chloroticis. [7]) Frequentiores animi defectus plerumque esse signum vitii generis varicosi; [8]) quod vitium ab aneurysmatica dilatatione his diagnosticis signis distinguit: »Tunc enim adplicata ad thoracem manu, quoniam per- »cipitur motus insuetus aut cum pulsatione, aut sine eadem, aut vix ullus; ego ea »dilatationis vitia, quibuscum ad pectus praeternaturalis, diu durans et cum vibratione »ictuque micans pulsatio conjungitur, ad vitia generis aneurysmatici; ea vero, quibus- »cum motus sine tali pulsatione, aut vere insensibilis adest, ad vitia generis varicosi »revocare soleo.« [9]) —

Explorandi rationem sic describit: »Quum itaque manus ad thoracem admovetur, »quum summi digiti juxta latera tracheae altius, quoad fieri potest, sub clavicula adi- »guntur, et quum intentis oculis arteriarum carotidum motus, et venarum jugularium »quasi undulatio accurate lustratur, vel aliqua signa inveniuntur, alterutrum vitii genus »indicantia, vel nulla« [10]) etc. — Hydropem plerumque esse pedisequum. Thoracis

»peculiari adventitia non minus quam nativa solidarum partium constitutione.« — Hereditariae dispositionis tria eximia exempla enumerat p. 395. 396.

1) l. c. p. 388.

2) l. c. p. 401: »De cetero sciri volumus, signa diagnostica horum structurae vitiorum et medicas indica- »tiones nobis hactenus plus imposuisse laboris et sollicitudinis quam therapeiam«

3) l. c p. 382. alibique frequens.

4) l. c. p. 385. 386 seqq. 395 etc.

5) l. c. p. 404. id quod jam Galenus observaverat, ut supra vidimus.

6) l. c. pag. 391.

7) ibid. pag. 387. quod, nisi fallor, Albertinus primum observavit.

8) l. c. pag. 389.

9) l. c. pag. 383

10) l. c. pag. 385.

vero hydropem a pulmonum oedemate accurate distinguit dicendo: »Oedema igitur seu »pulmonum hydrops ab hydrope pectoris distingui debet. Haec enim utique duo sunt »differentia vitiorum genera, et aliter se res habet, dum intra pulmones materia hy- »dropem faciens, ac dum intra thoracis cavum recipitur.« [1])

Prognosin sic exhibet: »Extra hos tamen et ante eos, quorum superius memi- »nimus, casus, si minus submoveri, leniri certe hujusmodi morbi queunt, differen- »daeque mortis spes superest, immo si nascentes, et ex occulto, ut solent, insidias »agentes, aliqua ratione possent deprehendi, tum etiam ex parte aliqua attenuari, »aut coerceri sic possent, ut ne adeo celeriter increscerent, neve alius ex alio inten- »sius et irreparabilius succederet« etc. [2]) Juniores et robustiores homines ex istis structurae vitiis universe celerius periclitari, aetate vero provectos et corpore imbe- cillos eorum vim diutius sustinere; mulieres, saepiusque coenobitae diutius ferre haec vitia, quam viri. [3])

Quod tandem spectat ad therapiam Albertinus quoque urget iterum iterumque, ut funesta illa vitia jam in cunabilis bene cognoscantur, atque intercipiantur. [4]) Ge- nerales agendi indicationes sic disponit: »Ut pauca dicam, curam universe ad solida »et liquida, quae in vitio sunt, dirigendam esse, ut nempe et liquidorum nisus in »solida minuatur, et solidorum renisus in liquida roboretur, ut morbosa humorum »constitutio corrigatur, depravata vero organorum structura reparetur« [5]) etc. Omni- bus his indicationibus accommodatum sex rerum non naturalium regimen multo magis respondere, quam elaborutum variumque medicaminum apparatum. [6]) — Sed audia- mus ipsius verba: »Et ideo nos et amicissimus vir studiorum nostrorum socius, dum »viveret, Antonius Maria Valsalva, cum in cadaveribus offenderemus haec vitia sae- »pius, quam augurabamur, coepimus inter nos, expensa laesionis organicae natura, »existimare, consentaneum pro illius curatione, tutum, efficax, quin etiam fortasse uni- »cum auxilium futurum, si aegrotans, non deploratus, quadraginta circiter dies in »lecto decumbens, praemissa una vel altera venaesectione praescriptisque clysteriis »et vini abstinentia, tantum cibi, et potus ad trutinam dimensi quotidie assumeret,

1) l. c. pag. 393.

2) l. c. pag. 394.

3) ibidem et pag. 395.

4) l. c. pag. 402 et 403: »Itaque si, commemoratis hactenus vitiis, perspicue cognoscendis, adhibita in dies »diligentiori opera, perspectae reddantur illorum notae, non solum ubi jam adoleverint, sed etiam ubi »radices agere incipiant, sane cognitio haec perutilis erit et medico et aegroto,« etc.

5) l. c. p. 396.

6) l. c. p. 401. conferas quaeso hunc locum cum eo in Lancisii subitan. mortib. Lib. I. cpt. 23. No VII. — et maximam offendes similitudinem.

»quantum vitae sustinendae satis esset; illudque non bipartito tantum in dies distri- »butum, sed tripartito, et quadripartito etiam, sic ut, exigua dosi sanguifera vasa »ingressum, ea tum ne minimum quidem distenderet, et quoniam hujusmodi vitia »sanguinem impurum aut supponunt, aut faciunt; hinc etiam arbitrati sumus, illo »eodem tempore ex usu esse posse quodpiam remedium, quod partem, et totum »pro re nata respiceret, ut aliquod unum ex vulnerariis aliisve supra recensitis (alte- »rantiis), vel omnium loco, in iis, qui eam ferre possunt, curam, sive diaetam »lacteam.« [1])

Inter singula remedia venaesectionibus, „modo parca tum manu celebrentur, ac »ne sub iisdem patiens deficiat" [2]) magnam adscribit utilitatem; [3]) incipiente vero hydropica inflatione, et in corporibus, lue venerea obsessis, ab iisdem abhortatur. [4])

Victus rationem severissimam semper esse, voluit, et ex medicaminum numero mitia alterantia et vulneraria elegit. — Ineunte tantum morbo curam hanc adhibet, et morbosus status, adversus quem in usum eandem vocat, cordis aneurysma plerumque esse, videtur. [5])

De curae tandem effectu haec pronunciat: „Hoc ita deliberato, tum demum con- „venimus inter nos, de eo periculum facere, et in aegrotante, qui se primum cuilibet „nostrum offerret, et hanc curationem subire vellet, rei exitum experiri. Valsalva „itaque, cui primum oblatus est aeger, hanc curationem et diaetam primus in usum „vocavit. Cumque ei non praeter spem, quam ambo una conceperamus, cesserit res, „a nobis quoque et exinde ab aliis nostratibus medicis in aegris non paucis confirmata „est. Ex ea autem constitit, juvenes, nondum adulto morbo, alios satis, alios pluri- „mum refectos esse: grandes, annis et aegritudine, id commodi percepisse, ut ab „ejusdem progressu plus minusve arcerentur, ac in longiorem certe diem differrent „interitum: dummodo tanta non esset primarii morbi facta progressio, ut etiam in „eorum, quos supra diximus, secundariorum morborum gradus incurrissent. — Porro „sicuti provectae aetatis viri, qui ulteriores morbi gradus non attigissent, ita omnis „propemodum aetatis foeminae beneficio descriptae methodi, sin adeo severe, at non „multo aliter institutae, vitam sibi propagaverunt diutius, quam Antipater ille medicus,

1) l. c. pag. 401.

2) l. c. pag. 398.

3) l. c. pag. 397: »eam initio morbi cum fructu praescripsimus, quasi per eam ab hydromila male affici et »dehiscere incipiente aquam averteremus.» cfr. adhuc p. 398.

4) l. c. p. 398.

5) Consulto dico: »videtur,« nam penitus eruere ex omni tractatu non potui.

«cujus mentionem facit Galenus.[1]) Praeter enim supra memoratos[2]) aliosque vir «equestris ordinis ab sexagesimo quinto aetatis suae anno usque ad suptuagesimum «quartum vitam protraxit, in cujus cadavere invenimus auriculam cordis dexteram et «pulmonarem arteriam praeter modum diductas, pericardium cordi tenacissime ad-«haerens et pectoris hydropem. Sic mulierem servatam vidimus ab sexagesimo primo «aetatis anno usque ad octogesimum secundum, quam polypus verus adflixerat cum «aneurysmate in trunco aortae, crusta ossea intus undique obducto. Vitam etiamnum «vivit, nec penitus miseram, alia mulier, civis nostras, quae ab annis jam undecim «signa prae se fert vitii generis aneurysmatici juxta cor cum aliqua corporis macie, «tussi non parum molesta, difficili ex motu et decubitu respiratione, et partium infe-«riorum oedemate. Haec et hujus generis alia cum de propositae methodi utilitate «in recitatis vitiis testimonium non obscurum largiantur, jure etiam diligentiam et stu-«dium a medicinae Professoribus exigunt.»[3]). —

Postquam tandem historicam disquisitionem ad Valsalvæ et Albertini aevum, quorum nominibus laudata cura insignitur, perduximus, atque ita primum quasi cyclum absolvimus; ejusdem curae sortem brevi recapitulemus.

Cura, de qua adhuc egimus, ab Hippocrate primum instituta, hucusque prae primis versabatur in eo, ut cavorum systematis sanguiferi morbosas dilatationes ad naturale volumen reduceret. Hippocrates *venarum*, Severinus, Lancisius et Valsalva *arteriarum*, ac tandem Albertinus *cordis dilatationes* per eandem reprimere, studebant. Unusquisque eorum ad curam sic dictam causalem, confugit, qua, sublatis causis, ipsa tolleretur cavorm dilatatio; quisque eorum ineunte tantum morbo, et per satis longum tempus eandem adbibuit. Pro diversis vero de causarum natura theorematibus, diversa quoque ratione cura in singulis suis momentis modificata est.

Hippocrates, uti videtur, mechanicam vasorum distentionem per sanguinis molem adauctam quam maxime accusans, vasa sanguifera venaesectionibus et praesertim severa diaeta evacuare, studebat; Severinus, Lancisius, Valsalva et Albertinus non solum sanguinis molem, sed ejusdem etiam impetum et crasin morbosam et universi corporis constitutionem plus minus respicientes, et vasa sanguifera plenitudine liberare,

1) cfr. supra pag. 7.

2) l. c. pag. 396.

3) l. c. pag. 402.

et circulationis immoderatam auctamque vim temperare, et sanguinis omniumque totius corporis liquidorum et solidorum dyscrasiam corrigere, nitebantur. Ideoque non solum evacuante, sed etiam debilitante, sedativa et alterante methodo utebantur. Omnes tamen propositum scopum feliciter adsecutos esse, contendunt. Quod, quatenus secundum physiologiae et pathologiae leges fieri potuerit, aut juxta historias, ab ipsis narratas, revera factum sit, inquirere, deficiente tempore, potestas mihi non facta est; atque ad illud attendum fecisse, pro tempore satishabeo, quo jure illa nostra methodus Valsalvæ et Albertini nominibus significetur, ut quorum omne meritum consistit in eo, ut curam, ab Hippocrate primum institutam, a Galeno, Severino et Lancisio jam dudum cum faustissimo successu adhibitam, in omnibus suis momentis certius constituerent, ulteriusque extenderent. —

Restaret nunc, ut ejusdem doctrinae et medelae historiam post Valsalvæ et Albrtini aevum exhiberem, ut demonstrarem, qua via longe alacrioribus majoribusque progressibus saeculo XVIIImo et XIXmo ad mirandum illum perfectionis gradum pervenit, quem novissimis temporibus sub auspiciis Carreti, Pelletani, Kreysigii, Hodgsonii et Lænnecii adsecuta est; — sed nulla amplius concessa est opportunitas; et ideo tu, lector benevole, inabsolutum, mancum et mutilum hoc opusculum indulgente, quaeso, excipias animo. —

INDEX SCRIPTORUM,

qui saeculo XVIIImo et XIXmo ad promovendam doctrinam de cordis praecordiorumque vitiis organicis eorumque medela plus minus contribuerunt, in seriem chronologicam redactus. *)

1700. **Lafaye in: Philosophical Transcactions p. 666.**

1707. **Littre in: Mémoires de l'Académie Royale des Sciences à Paris 1707. et ibid. 1712.**

— **Lancisius de mortib. subitaneis. Romae 1707.**

1710. **Mery in: Histoire de l'Acad. Royale des Sciences à Paris. pag. 51.**

1715. **Raymund de Vieussens:** ***Traité nouveau de la structure du coeur. Toulouse.***

1716. **Kremer Diss. de morbis in genere, et iis in specie, qui cor et respirationis organa infestant. Viennae.**

1718. **Beck Diss. de viro palpitatione cordis mortuo cum anatome. Giessae.**

1721. **Morand in: Mémoires de l'Acad. des Sciences à Paris 1721. et ibid. 1729. 1732.**

1723. **Vater de mortis subitaneae non vulgaris causis et remediis. Viteb.**

— **Dionis de l'Anatomie de l'homme. Paris. p. 627.**

— **Stenzel de steotomatibus in principio aortae. Witteb.**

1724. **Marcot in: Mém. de l'Acad. R. des Sc. à Paris.**

1725. **Martin Schurig. Chylologia. Dresden. p. 263.**

1726. **Viridet in: Dissertation sur les Vapeurs. Yverdon.**

— **H. Fr. Albertini** ***in libro supra citato.***

1728. **Hilscher Diss. de aneurysmate.**

— **F. Nicholls in: Philosophical Transact. Vol. 52. P. I. pag. 265. 440.**

— **J. M. Lancisius** ***de motu cord. et aneur. Romae,***

1731. **Alex. Knips Macoppe: Epist. de aortae aneurysmate et polypo sordis. Brixiae.**

— **Salzmann Diss. de subit. morte a sanguine in pericordium effuso. Argentor.**

— **Barbeyrac Diss. Nouvelles sur les maladies de la poitrine-du coeur etc. Amstelod.**

1732. **Duvernoy in: Comment. Petropolit. tom. VI.**

1737. **A. Pasta Epistolae duae ad Aletophilum etc. Bergam.**

1741. **Paul. Valcarenghi de aneurysmate observationes binae. Cremonae.**

1742. **Samuel Schaarschmidt, medicinisch und chirurg. berlinische Berichte. Berlin. Tom. I.**

1744. **Mart. Schurig, Haematalogia. Dresd. et Lips. pag. 392.**

1746. **Noortwyck Observ. de gibbo ab aortae aneurysmate ad Solani observ. de pulsu. Amstelod.**

1748. **Mauchart Diss. de pulsu intermittente et crepitante. Tubing.**

1749. **Alb. ab Haller** ***Pr. de aortae venaeque cavae gravioribus quibusdam morbis observationes. Goett.***

— **J. B. Senac** ***Traité de la structure du coeur et de ses maladies. Par.*** **1749.** ***et ibid.*** **1774. 1777.** ***in ling. germ. transtul.*** **Crusius.** ***Lips.*** **1781.**

1750. **George Arnauld. Observations on aneurysmes. London.**

— **J. F. Meckel** ***sur les maladies du coeur in: Mémoires de l'Acad. des Sc. de Berlin*** **1750.** ***p.*** **163. 1755.** ***pag.*** **56. 1756.** ***pag.*** **31. 49. 1759.**

---

*) Autorum, qui eandem rem magis quam reliqui promoverunt, inscriptiones litteris cursivis impressae sunt.

1752. Targioni Tozzetti: Raccolta prima di osservaz. med. Firenza.

1753. Schreiber in: novi Commentarii Academ. Scient. Petropolitan. III. p. 401.

— Tabarrani Observationes anatomicae. Luccae. n. VIII. p. 16.

1754. Joh. Ludw. Leb. Læsecke observat. anatomico-chirurgico-medic. Berl. p. 35.

1756. Anton. Matani *de aneurysmaticis praecordiorum morbis animadversiones. Florent.* 1756. *nov. ed. Francof.* 1766.

1757. Gibellet Diss. de aneurysmate. Argent.

— Roloff in Mémoires de l'Acad. des Sc. de Berlin. pag. 160.

1759. Anton. Stœrk Annus medicus. Vindobon. I. pag. 118. 140. II. pag. 236. 261.

1760. Young in Histoire de l'Acad. des Sc. à Paris.

— Bayford in medical Observations and Inquiries III. No. 3.

1761. Gœnner Diss. de p. n. vasor. distentione. Halae.

— Leop. Auenbrugger: *Inventum novum ex percussione thoracis etc. Viennae.*

1762. J. B. Morgagni *de sedibus et causis morbor. per anat. indagat. Venet.* 1762. *Neapel* 1763. — *Ed.* II. *Venet.* 1765. — *Ed.* III. *Lugd. Batav.* 1769. — *Yverduni* 1779. *Lips.* 1828.

1763. Juncker et Bockmann Diss. cordis morbos proprios in tabula exhibens. Hal. 4.

— Asmann de aneurysmatibus. Groening.

1764. Mumsen Diss. de corde rupto. Lips.

— Joh. Georg Zimmermann von der Erfahrung in der Arzneikunde. Zürch 1764. II. pag. 449. nov. ed. ibid. 1777. 1787.

1765. Crüwel Diss. de cordis et vasorum osteogenesi in quadragenario observata. Halae.

— Baader observ. med. incision. cadav. illustr. Friburgae.

1766. Richard de Hautesierck. Recueil d'observations de Médecine des hopitaux de militaires etc. Paris. II. 583 seqq.

1767. Jos. Lieutaud *Historia anatomico-medica. Paris* 1767. *L.* II. *obs.* 575 *seqq.*

— Weis Diss. de dextro cordis ventriculo post mortem ampliore. Altdorf.

— Pasquali. Delle morti e malattie subitanee etc. Napoli. 4.

1768. Anton. de Hæn ratio medendi. Viennae. Pars IV. cpt. II. P. VI. cpt. IV. §. 4.

1769. Chr. Ehrh. Eschenbach. Continuat. observ. anat. med. rar. Rostock.

1769. J. F. Henckel neue medic. chirurg. Wahrnehmungen. Berl. 1ste Sammlung.

— Casparo Forlani rariores observationes medico-anatomicae. Dec. 1. No. 6. 7. Senis.

1770. Heisinger. Diss. sistens historiam hydropis pectoris cum aneurysmate cordis. Viennae.

— Alex. Monro. *Remarks on the coats of Arteries, their diseases and particularly on the formation of aneurisms in: Edinb. medic. Essays and Observ. Vol.* II. *p.* 264.

1771. Donald Monro. Cases of Aneurysms etc. ibid. Vol. III. No. XII. p. 187.

1772. C. Guattani. *De extern. aneurysmatib. etc. cum nonnullis circa aneurysmata interna. Romae.*

— Spaventi *Diss. de frequentioribus cordis majorumque vasorum morb. intern. Vienn.*

1773. Verbrugge Diss. de aneurysmate, oblata notabili aortae aneurysma divulgandi occasione. Lugd. Bat. 4.

1774. Math. Franscisc. Alix. Observata chirurgica. Altenb. Fasc. I.

— Pohl de ossificatione vasorum praeternaturali. Lips.

1776. W. Hunter *the History of an Aneurysm of the Aorta, with some Remarks on Aneurysms in general, in London med. Observ. and Inquiries Vol.* I. *p.* 323. *Tab.* IV. *Fig.* 1. *Vol.* II. *p.* 330.

1777. Max. Stoll. Ratio med. Vienn. P. I. p. 251.

— Conspruch in: Diss. Fascic. observ. med. Stuttg.

— Jo Coakley Lettsom medizinische Nachrichten vom Dispensatorium in London. Altenb. p. 600.

— Eduard. Sandifort de nonnullis cordis valvularumque aortae morbis. In Observ. anatom. pathol. Lugd. Bat. L. I. c. 1. 2.

— Carcassone in: Histoire de la Société R. de Médecine ad an. 1777. ibid. 1778. p. 252.

1779. Boerhaave in: Genees-Natuur-en Huishoudhundig Kabinet door J. Voegen van Engelen. Leiden. Deel I. p. 562. in ling. german. translat. in: Sammlung auserles. Abhandl. Vol. IX. p. 483.

— Fr. de Petraglia de cordis adfectionibus syntagma. Romae 1779 et 1790. 4.

— de Horne in: Mémoires de la Société Royale de Méd. p. 298.

1780. Weltin Diss. de aneurysmate vero pectoris externo hemiplegia sobole.

— Ph. Rud. Vicat Delectus observat. practicar. ex Diario clinico depromtar. Vitodur. No. 23.

1780. A. Scarpa *in: Histoire de la Société R. de méd. ad* 1780 *et* 81.

1781. Diez Pr. observationes anatomicae de corde. Giessae.

1783. Fr. L. Bang in: Acta Regiae societatis med. Havn. Vol. I. p. 1.

— F. C. G. Scheidemantel fränkische Beiträge. No. 20.

— Stribel Diss. de aneurysmate. Viennae.

1784. Hull in: Medical Observat. and Inquiries. Vol. IV. pag. 23.

— P. Portal in: Mémoires de Paris. 1784.

— Simmons in: medic. Communicat. Lond. Vol. I. No. 7.

— Joh. Phil. Burggrav (jun.) auserlesene medic. Fälle und Gutachten. Francof. pag. 309.

1785. J. G. Walter sur les maladies du coeur. In nouveaux Mémoires de l'Acad. à Berl. pag. 57.

— Michaelis Diss. Aneurysmatum cordis disquisitio anatomico-medica observatione quadam illustr. Halae.

— Murray Diss. de ruptura cordis. Upsal.

— Chr. Gottl. Ludwig primae lineae anatom. pathol. Lips. pag. 96.

— Th. Lauth scriptorum latinorum de aneurysmatibus collectio edidit etc. Argent.

1786. Chavasse in: London medical Journal. Pars III. pag. 404.

1787. Laue Diss. de arteriarum morbis et praecipue de aneurysmatibus. Lugd. Bat.

— Cajetan. Lombardini *de aneurysmaticis praecordior. morbis. Ticini.*

— van Doeveren Diss. observ. anatom. patholog. Lugd. Batav.

1789. Kinglake in: London medical Journal. Vol. X. Pars IV. p. 341.

1790. Reil. Diss. Analecta ad historiam cordis pathologicam. Halae. 4.

— Concanen Med. commentaries for the year 1790 by Andr. Duncan. Dec. II. Vo. V. pag. 98. Edinb.

1791. Carret *in: Recueil des Actes de la Société de Santé à Lyon.* I. *pag.* 111.

— Martin ibid. pag. 118.

— Gilibert ibid. pag. 393.

— Nic. Chambon de Montaux. Merkwürdige Krankengeschichten und Leichenöffnungen. Leipz. I. No. 7.

1791. Conradi in: Arnemann Magaz. für die Wundarzneiwissenschaft. Goetting. I. pag. 86.

1792. Petr. Frank de curandis hominum morbis. Lib. II. §. 205—206. Mannh.

1793. Jac. Penada Saggio d'Osservazioni e memorie sopra etc. Padua. P. III.

1794. Cruikshank etc. neueste Beiträge zur Geschichte und Beschreibung der Saugadern des menschl. Körpers. Lips. I.

— Piderit pract. Annalen vom Militärlazareth zu Cassel. Cassel. I. p. 104. 108. II. p. 128—151.

1795. Joh. Aug. Ehlich chirurg. Beobachtungen. Vol. I. p. 93. 95. 96.

— Johns Ferriar. Medical Histories and Reflections. Lond. Vol. II. No. 5.

1797. Wiedemann in: Hufeland Journal der pract. Heilk. III. St. II. pag. 381.

— Westring in: Gerh. Wilh. van Eicken Sammlung interessanter Aufsätze und Beobachtungen. Elberfeld. I. p. 245.

1798. Wallich in mediz. Nationalzeitung. Supplem. p. 240.

1799. Charles Bell. System of the dissections explaining the anatomy of the human body etc. Edinb. Vol. II.

— Mathew. Baillie *Series of Engravings to illustrate the morbid anatomy of some of the moste important parts of the human body. London.*

— René Caillot Essai sur l'anéurysme. Paris. 8.

1800. Aug. Fr. Ayrer über die Pulsadergeschwülste u. s. w. Gött.

— Sarrazin Considérations sur les causes générales des aneurysmes et de la rupture spontanée des vaisseaux sanguins artériels etc. Par. 8.

— Lynn. in: medical Records etc. No. 5. v. Kühn phys. med. Journ.

1801. Xav. Bichat Anatomie générale appliquée à la physiologie et la médecine à Paris. tom. II. p. 414. etc.

— J. H. F. Autenrieth Handbuch der empirischen menschl. Physiologie. Tübingen. Vol. I. §. 370.

— Lecheverel in Recueil périod. tom. XII. p. 21.

— Meckel *de cordis conditionibus abnormibus. Halae* 1801. et ibid. 1802.

Ejusdem tabulae. Fascic. 1. Cor. Halae 1817.

1803. Briot. Essai sur les tumeurs pour le sang. arteriel. Paris. 8.

— Werdermann in: Mursinna neues Journ. für Chir. Arzn. u. Geb. Berl. I. p. 184. 189.

1803. Osswald in: Archiv der pract. Heilkunde für Schlesien. III. 4. No. 4.

— Lesage Diss. sur les anéurysms du coeur et des gros vaisseaux. Par. cum icon.

— A. Ramsay Anatomy of the Heart, Cranium and Brain. Edinb.

— Augustin. Olini. Memoria di una repentina morte cagionata della rottura del cuore. Firenza. 8.

1804. Ant. Scarpa *Sull' aneurysma riflezzioni et osservazioni anatomico-chirurgiche etc. Pavia* 1804. cum icon. In ling. german. translat. ab Harles. Zürch 1868. in gallic. a Delpech. Paris 1809.

— P. F. Gilbert: Recherches anatomiques et pathologiques sur les lésions du coeur etc. Par. 1804. 4.

— Ackermann Diss. observationes in aneurysmate. Upsal.

— Portal *Cours d'Anatomie médicale, ou élémens de l'anatomie de l'homme etc.* Paris.

1805. Richerand. Aneurysma aortae enorme per herniam membranae internae etc. in Nosographie chirurgicale T. I. p. 74.

— Ludwig Pr. Annotat. diagnostices chirurgicae fragmenta de aneur. interno. Lips.

— Popp. Diss. selectoria capita de aneurysmatib. Altdorf.

— Cabiran-Cabannes. Aperçu sur quelques affections organiques du coeur etc. Paris. 8.

— Fr. Zuliani de quibusdam cordis adfectionibus. Brixiae.

1806. Renauldin in: Journ. de Méd. contin. Janvier 1806. Vol. XI. p. 254. 255. 264.

— H. J. N. Corvisart. *Essai sur les maladies et les lésions organiques du coeur et des gros vaisseaux: Paris* 1806. *ibid.* 1811. 1818. *in ling. german translat. a* Rintel. *Berl.* 1815. 8.

1807. Boucher in: Journal générale de Méd. Tom. XXIX. p. 353.

— Freer *Observations on Aneurysm and some diseases of the arteriel system. Birmingham.* 4.

1808. Pohl Diss. de ruptura cordis. c. icon. Lips.

— Coutelle D. Essais sur quelques causes des maladies du coeur. Paris.

— Brera di una straordinaria rottura di cuore. Verona.

1809. A. Burns. *Observations on some of the most frequent and important Diseases of the Heart etc. Edinburgh* 1809. 8. *in german. ling. transtul.* Nasse. *Lemgo* 1813.

— Sue in: Bulletin de l'Ecole de médec. et de la Société de Paris. pag. 128.

1809. Thilenius medizin. chirurg. Bemerkungen, nov. edit. Francof. 1809. I. p. 69.

— Abernethy et Dundas in: Transactions medico-chirurgicales. 1809.

— Harnier Diss. de morbor. cordis diagnosi. Goettingae.

— John Warren Cases of organic Diseases of the Heart with Dissections etc. Boston 1809 et 1811.

1810. J. Grassal D. sur quelques affections organiques du coeur. Paris. 4.

— Beauchene in: Journale de Médec. contin. Sept. p. 209.

— Pelletan *Mém. sur quelques maladies et vices de conformation du coeur, in: Clinique chirurgicale. Vol.* III. *et Mém. sur les Aneurysmes. ibid. Vol.* I. *p.* 54 *seq.*

— Chambert in: Journale de Médec. contin. Juill. p. 5.

— Heinecken in: Horn's Archiv 1810. p. 52.

— Wildberg in: Abhandl. der phys. med. Societät zu Erlangen. I. No. 16.

— Ant. Giuseppe Testa: *delle malattie del cuore, loro cagioni, etc. Vol.* II. *Bologn.* 1810 — 11; *in germ. ling. transtul.* C. Sprengel. *Halle* 1813.

— V. L. Brera Rapporto di resultati ottenutti nelle clinica medica di Padova 1810 — 11.

1811. Bacqua in: Bulletin de la Faculté de Médecine continué Janv. 1811. p. 136.

— Bertin *in: Bullet. d. l. F. d. Méd. contin. à Paris* 1811. *p.* 14. 1812. No. 3.

— Hufeland in: Hufeland Journal der pract. Heilkunde 1811. Juni. pag. 91.

— Dundas cfr. allgem. medic. Annalen 1811. p. 702.

1812. Spangenberg in: Horn's Archiv Mai 1812. p. 456.

— Joh. Fr. Meckel Handb. der pathol. Anat. Leipz. 1812 — 18. 8.

— Flormann de aneurysmate cordis P. I. resp. Hiertstedt. P. II resp. Engeström. P. III. resp. Pramberg Lond. 1812. 4.

1813. Sandberg de vitiis cordis. Edinb. 1813.

1814. Fr. L. Kreysig: *die Krankheiten des Herzens. Berlin* 1814 — 1817. *P.* III.

— J. R. Farre *Pathological Researches on Malconformations on the human heart. in: Médic. Essays* I. *Lond.* 8.

— J. Gorgham über organ. Krankheiten des Herzens, nebst Sectionen in: New England Journal of Medec. and Surgery. Boston 1814. Vol. III. Jan.

1815. Joseph Hodgson *a Treatise on the Diseases of Arteries and Veins containing the Pathology and Treatment of Aneurysms etc. Lond.* 1815. *ibid.* 1822. *translat. in germ. ling. a* Koberwein. *Hannover* 1829. *in gallic. ling. a* Breschet. *Paris* 1819. — *Accedunt: Engravings to illustrate some of the Diseases of Arteries. Fol.* 1815.

1816. Joh. Howship. Pathological observations in surgery and morbid anatomy. Lond.

— Hoffengærtner in: Hufeland Journ. der pract. Heilk. 1816. Januar. pag. 1—25. und März p. 38—76.

— Biermayer museum anatomico-pathologicum. Vindob. p. 96.

— Dn. Sommer Diss. sistens aneurismatis aortae pleuritidem mentientis casum. Berl. 8.

1817. Mandruzzato in: memorie scientifiche e letterarie dell' Atenaeo di Treviso 1817. Vol. I.

— E. Fritz Diss. sistens observationem de aortae aneurysmatis in bronchum ruptura. Gryphiae.

— J. F. Meckel *tabulae anatomico-pathologicae. Fasc. I. cor. Lips.*

— J. F. Heisler D. rariorem atque memoratu dignissimam aneurysmatis aortae sternum perforantis historiam exhibens. Landshuti.

1818. Rostan: l'asthma de vieillards est-il une affection nerveuse? Par. 8.

— Portal sur les aneurysmes du coeur in: Mém. du Museum d'hist. natur. 1818. Tom IV. p. 62.

— Bœck Diss. de statu quodam cordis abnormi. Berolin. c. icon.

— Mussey in: the new England Journal of Medec. and Surg. Boston. Vol. VII. No. 2.

1819. J. W. Ad. Lueck: Diss. adumbratio morbor. cordis generalis. Berl. 8.

— Cerutti Beschreibung der patholog. Präparate des anat. Theaters in Leipz. p. 151 seqq.

— G. Foster Diss. de organicis vitiis cordis. Edinburg.

— Payent et Zeink in Bulletin de la Faculté de Médec. 1819. No. 3. et ibid. tom. 17. p. 16.

— R. G. H. Lænnec. *De l'auscultation médiate, ou Traité du Diagnostic des maladies des Poumons et du Coeur. 2 Vol.* 1829. 1826. *in ling. german. tradid.* Meissner *in: Bibliothek der ausländ. Literatur für pract. Aerzte. Vol.* XV. XVI.

— Mayer Berichte über organ. Fehler des Herzens und der gröſseren Blutgefäſse in: Oestreich. medic. Jahrb. Vol. V. St. III. pag. 59.

1820. J. H. G. Ehrhardt Diss. de aneurysmate aortae. c. icon. Lips.

— G. Noverre Diss. sur les Aneurysmes de l'Aorte. Par. 8.

1820. Wetzler über Krankheiten des Herzens und der Arterien in: ejusd. Beiträge zur theoret. pract. Mediz. B. I. St. 1 u. 2. Mainz.

— Rostan Mém. sur les rupture du coeur in: Journ. génér. de Médec. Juill. 1820. p. 72.

1821. J. A. Walter de variis cordis adfectibus. Halae.

— H. Reader Practical Treatise on the inflammatory organic and sympathic diseases of the heart. Lond. 8.

1822 Everest Diss. de cordis aneurysmate. Fdinb.

— C. H. Ehrmann Structure des Artéres, leurs propriétés, leurs fonctions et leurs altérations organiques. Strasb. 4.

— Dœring Diss. quaedam de aneurysmatum pathogeniam. Berol. 8.

— M. S. Levi Saggio teoretico pratico sugli aneurismi interni. Venezia. 8.

1823. J. Whitsed Diss. de fabrica cordis vitiosa. Edinb.

— Wedemeyer in: Rust Magaz. B. XIII. H. II. p. 177. 1823.

— Andral in Archives géneral de Médec. Novemb. 1823. p. 466.

— G. Breschet *Recherges et Observations sur l'aneurysme faux consecutif du coeur. Par.* 1823. cfr. *Repertoire génér. d'Anatomie et de Physiol. pathol. Paris* 1827. *Tom.* III. *part.* II. *p.* 333.

1824. Abercrombie. Contributions to the pathology of the heart, in: Transactions of the medico-chir. Soc. of Edinb. 1824. No. I.

— M. A. Petit. Essai sur la Médecine du coeur. Seconde edit. Lyon.

— R. J. Bertin *Traité des maladies du coeur et des gros vaisseaux, rédigé par* Bouillaud. *Par.* 1824. *c. icon.*

— Ward in London medical Repository. Vol. XXI. No. 131. Novemb. 1824.

— Lallemand Archives géneral de Médec. Août 1824.

1825. J. S. Morizio Diss. de aneurysmatib. internis. Patavii.

— Salomon in: Petersburg. vermischte Abhandlungen aus dem Gebiete der Heilk. 3te Sammlung. pag. 164. Tab. II.

— Casamajor. Reflexions et Observations anat. chir. sur l'Aneurysme spontané etc. Par. 8.

— A. Cooper Vorlesungen über die Grundsätze und Ausübung der Chirurgie; in ling. german transtul. Fr. Tyrrel. II. 1825. 14 Vorlesg.

— J. Cloquet in Gazette de Santé. 1825. No. 3.

— H. Bürger Diagnostik der Herzkrankheiten. Berlin. 8.

— C. H. Parry Collections from the unpublished medical writings. Vol. II. pag. 129. London.

1826. C. R. Bernhardi Diss. Observatio circa ingentem cordis tumorem. Regiomonti.
— M. Boas de cordis aneurysmate rarissimo. Berol. c. icon.
— le Herissé Proposition sur les affections organiques du coeur. Paris 1826.
— Newbold in London medic. Repository. März 1826. Vol V.. No. 27.
— Spitta *die Leichenöffnung in Beziehung auf Pathologie und Diagnostik. Stendal.*
— Berard sur plusieurs points d'anatomie pathologique et de Pathologie. Par. 1826. et in: Archiv. général de Médec. T. XI. Mars 1826.
— Francisc. nobilis ab Hildenbrand. Annales scholae clinicae medicae Ticcinensis. Pars I. 1826. cpt. III.
— Heussinger. Erster Bericht der anthropotomischen Anstalt zu Würzburg. 1826. IV. p. 3.
— Noble in Revue médicale française et etrangère clinique de l'Hôtel-Dieu etc. 1826. tom. II.
1827. H. B. Smitz. Diss. de aneurysma.e cordis. Gandavi. 4.
— Andral *Clinique médicale ou Choix d'Observation recueillées à la Clinique de M. Lerminier etc. tom.* II. 1827.
— Desmann Diss. de incerta aneurysmatum internor. Diagnosi. Berol. c. icon.
— Parchappe in: Revue médicale fr. et cfr. 1827. tom. IV. p. 40—47.
— R. Adams in: the Dublin Hospital Reperts and Communications in Medicine and Surg. Vol. IV. No. 19. 1827.
— W. Darrach in: Philadelphical Journal Tom. XIII. p. 115. cfr. Magaz. der ausländ. Litt. der gesammten Heilk. Sept. Oct. 1827. p. 338.
— A. Rainy in: the London medical and physic. Journal. new Series. Vol. VIII. Decemb.
— C. Simeons in: Heidelberger klinische Annalen III. Band. 1827—28. Hft. II. No. 4.
— W. E. Faber in: Hufeland Journ. d. pract. Heilkunde. August 1827. p. 3.
— W. Millingen: the London medical and physic. Journ. New Series. Vol. II. Juni 1827.
— Th. Rose ibid. New Series. Vol. III. August 1827.
— W. Elwert medizin. Beobachtungen. Hildesheim 1827. VIII.
— Stadelmeyer de morbis cordis organicis observationes quaedam. Wirzeb.
1828. H. Francke in: Zeitschrift für Natur- und Heilkunde. Dresd. 1828. V. Bd. 1. Heft. No. 1.
— J. Black et H. Vernon in: the Edinburgh medical and surgic. Journal. No. XCV. April 1828. P. I.
— J. R. Farre *Journal of morbid Anatomy or Researches etc. Lond.* I. 1828. *c. iconib.*
1828. H. W. Carter in: the London medical Repository and Review. Vol. XXIX. New Series. Vol. VI. 1828. Februar.
— H. Hartmann Diss. Observatio ingentis aortae aneurysmatis. Berol.
— Th. Molison in: Transactions of the medico-chirurgical Society of Edinburgh. Vol. III. pars I. 1828.
— C. Vogel in: Rust Magaz. für die gesammte Heilk. B. XXVI. H. III. No. 9. 1828.
— J. Brown. Medical Essays on Fever, Inflammation, Rheumatism, Diseases of Heart etc. Lond. 8.
— Schœn in: Hecker's litterar. Annal. der gesammten Heilk. Sept. 1828. p. 10.
— Cruveilhier *Anatomie pathologique du corps humain etc. Paris* 1828—29. I. II.
1829. J. F. Lobstein *Traité d'Anatomie pathologique. Tom.* I—III. *Par.*
— Thom. Mills an Account of morbid Appearances exhibited on Dissection etc. Dublin. Pars III.
— E. J. Agnew: Transactions of the medical and physical Society of Calcutta. Vol. IV.
— A. Juglis in: Transact. of the medico-chirurgical Soc. of Edinb. Vol. III. P. II. 1829.
1830. R. J. Graves et W. Stokes in: the Dublin Hospital Reports. 1830. Vol. V. P. I.
— Fr. Otto in: neue Zeitschrift für Natur- und Heilk. Dresd. 1830. I. B. I. H. No. III.
— Ad. W. Otto *Lehrbuch der pathol. Anatomie. Berl.* I. *Bd.*
— F. Virag Diss. de aneurysmate cordis. Pesth.
— John Houston in: the Dublin hospital reports and communications in medic. and surgery. Vol. V.
1831. W. Davidson in: the medical and surg. Journ. 1831. New Series. No. 31. July. I. Pars.
— J. Paget in: the Edinb. medic. and surg. Journ. 1831. New Ser. No. 32. October.
— Seidlitz in: 13ter Jahresbericht der ärztlichen Gesellschaft zu St. Petersburg.
— Lichtenstedt et Meyer ibid. cfr. Hufeland Journ. der pract. Heilk. 1832. 12. St. Decemb. No. III.
— J. Elliotson: on the recent improvements in the art of distinguishing the various diseases of the heart. London. Fol. cum icon.
1832. M. Naumann cfr. litterar. Annal. für die gesammte Heilk. B. XXIII. Berlin. Mai 1832.
— J. Corrigan in: the Edinb. med. and surg. Journ. New Ser. 34. Apr. 1832.
— Townsend in: the Dublin Journal of medical and chemical Science. Vol. I. No. I—II. 1832. Mai.
— J. Heinecken Beobachtungen, gesammelt auf dem Felde der Erfahrung 1832.
— J. J. Philipp Diss. nonnulla de morbis cordis organicis. Berol.

$25.00